NEW YORK
BENZIGER BROS.
CINCINNATI & ST. LOUIS

BIBLIOTHECA
FF. PRÆDICATORUM
CONVENTUS
CIVIT. BENITIÆ
Lit. ~~238~~ C 241
Pl.

Religiosae Professionis Valor Satisfactorius.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Religiosae Professionis Valor Satisfactorius,

CONSTANTI TRADITIONE ex Sanctissimis Patribus, Sacris Canonibus ac Ritibus, et Scholasticis, a Sacræ Religionis origine AD PRÆSENTEM USQUE DIEM TRANSMISSUS; necnon et INTRINSECIS PRÆCIPUIS quibusdam ARGUMENTIS DEFENSUS.

Accedit nonnullarum connexarum quæstionum proposita solutio. Auctore fr. ROBERTO COLLETTE, Sacri Ordinis Cisterciensis Religioso in Abbatia B. M. V. Assumptæ in Valle-Dei.

Lugduni, H. Dessain, Episc. typographus, rue Trappé, 7. MDCCCLXXVII.

APPROBATIONES.

Opus cui titulus *Religiosæ Professionis valor satisfactorius auctore fr. Roberto Collette* non parum conferet ad quæstionem istam theologicam historice et theoretice illustrandam. Qua propter libenter concedimus licentiam ut imprimatur.

Leodii, 2ª Aprilis 1887.

† VICTOR-JOS., Episc. Leodien.

IMPRIMATUR.

In Abbatia Vallis-Dei, 22 Decembris 1886.

Fr. Andreas BEERIS,
Prior tit.

Droits de propriété et de traduction réservés.

Prologus.

OMNIBUS *Catholicis notum est Religionis Statum, inter varios perfectionis status eminere, stabilemque esse vivendi modum ab Ecclesia approbatum in quo fideles ad Christianæ Charitatis perfectionem tendunt per observantiam præceptorum et trium consiliorum, Obedientiæ, Paupertatis, et Castitatis. Unde ita suos alloquitur D. Bernardus : Videtis enim, Fratres, qualem spiritum accepistis, spiritum qui ex Deo est, ut sciatis quæ a Deo donata sunt vobis. Audivimus Apostolicum, audivimus et Propheticum, etiam et Angelicum gradum, quibus nihil a nobis arbitror posse sublimius affectari. Sane e singulis mihi videor in vobis aliquid, et magnum aliquid invenire. Quis enim cœlibem vitam cœlestem et angelicam dicere vereatur ? Aut quod in resurrectione futuri sunt omnes electi, quomodo non jam nunc estis, sicut Angeli Dei in cœlo, a nuptiis penitus abstinentes ? Amplectimini, Fratres, pretiosissimam margaritam, amplectimini sanctimoniam vitæ, quæ vos efficit sanctorum similes, et domesticos Dei : dicente Scriptura : Incorruptio facit proximum Deo* (SAP. VI, 20). *Ita ergo non vestro quidem merito, sed gratia Dei estis quod estis : quod ad castitatem et sanctimoniam spectat, Angeli quidam terreni, aut potius Cœli cives : sed interim in terra peregrini. Quamdiu enim sumus in hoc copore, peregrinamur a Domino. — De Prophetia quid dicemus ? Lex et Prophetæ usque ad Joannem* (LUC. XVI, 16) : *Veritas ait. Verumtamen non erat ille adversarius, sed discipulus utique Veritatis, qui dicebat etiam post Joannem : Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus.* (I. COR. XIII, 9). *Cessavit ergo Prophetia, quia jam cognoscimus : necdum*

1653

tamen tota cessavit, quia adhuc ex parte. Cum venerit, inquit, quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Siquidem ante Joannem qui fuerunt Prophetæ, utrumque adventum Domini prophetabant, et quasi neutra adhuc pars salutis in notitia, sed utraque in Prophetia erat. Magnum sane prophetandi genus, cui vos deditos esse conspicio ; magnum Prophetiæ studium, cui vos video mancipatos. Quod illud ? Nempe juxta Apostolum non Considerare quæ videntur, sed quæ non videntur (2. COR. IV, 18), *sine dubio prophetare est. Ambulare in spiritu, ex fide vivere, quæ sursum sunt quærere, non quæ super terram : oblivisci quæ retro sunt, et extendi in anteriora, ex magna parte prophetare est. Alioquin quonam modo nisi per spiritum Prophetiæ Conversatio nostra in cœlis est?* (PHILIP. III. 20). *Sic nimirum Prophetæ quasi non inter homines erant sui temporis, sed virtute et impetu quodam spiritus dies illos transilientes, exultabant ut viderent diem Domini ; et videbant et lætabantur in ea. — Sed et professionem Apostolicam audiamus : Ecce nos relinquimus omnia : et secuti sumus te* (MATTH. XIX, 27). *Si gloriari licet, habemus gloriam : sed si sapiamus, habere curabimus apud Deum. Hæc enim vera est gloriatio : ut qui gloriatur, in Domino glorietur* (1 COR. I, 31). *Nam neque manus nostra excelsa, sed Dominus fecit hæc omnia. Fecit nobis magna qui potens est ; ut merito magnificet anima nostra Dominum* (LUC. I, 46). *Ipsius enim magno munere factum est, ut magum illud propositum unde magni gloriabantur Apostoli, magnifice sequeremur. Forte etiam si in hoc quoque gloriari voluero, non ero insipiens : Veritatem enim dicam esse hic aliquos, qui plus quam navem et retia relinquere. Quid vero illud quod ipsi quidem Apostoli reliquerunt omnia, sed ut præsentem in carne Dominum*

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

sequerentur? Non est nostrum dicere, securius ipsum Dominum audiamus: Quia vidisti me, inquit, Thoma credidisti: beati qui non viderunt, et crediderunt (JOAN. XX, 29). *Forte etiam prophetandi genus excellentius esse videbitur, non intendens quibuscumque temporalibus rebus, et transituris aliquando: sed spiritualibus et æternis; et nihilominus in vase fictili thesaurus castitatis illustrior; et in carne fragili ex aliqua parte probabilior virtus. Ubi ergo Angelica in hoc corpore conversatio, in corde Prophetica expectatio, in utroque Apostolica perfectio invenitur: quantus est iste cumulus gratiarum?* (Serm. De Diversis *37, n. 5, 6, 7 et 8).*

« *Hinc porro evenit, ut ajebat S. S. Pius IX, ut* » *Ecclesiæ Patres et Doctores merito atque optimo jure* » *Evangelicæ Perfectionis cultores summis laudibus* » *exornarint, et contra illorum oppugnatores acerrime* » *decertaverint; ut Romani Pontifices Regulares Ordines* » *benevolo semper affectu prosequentes Apostolicæ auctori-* » *tatis patrocinio illos tegere, tutari atque amplioribus* » *privilegiis et honoribus decorari nunquam omiserint,* » *probe noscentes quæ quantaque bona et commoda ex ipsis* » *Ordinibus ad Universam Christianam Rempublicam* » *omni tempore redundarint.*» (Ubi primum, 17 junii 1847).

Verissime ergo cum S. Maria Magdalena de Pazzi affirmatur: « *Vocationem ad vitam religiosam maximam esse gratiam quam Deus animæ post Baptisma concedere possit.* » *Cur autem tam paucorum si donum istud, responderi potest cum S. Laurentio Justiniano:* « *Consulto* » *Deus gratiam Religionis hominibus occultavit; nam si* » *cognosceretur illius felicitas, omnes ad eam concurrerent.*» *Attamen sciendum est, Providentiam in creaturas liberas*

agere ita ut impleat sua in eis consilia et simul earum libertatem integram relinquat: « *Sic Deus, ut dicit Augustinus, res quas condidit administrat, ut eas agere proprios motus sinat.* » (De Civit. Dei L. VII, C. 20). *Consilia Evangelica omnibus ut sequenda proponuntur, et exinde etiam Status, in quo eorum observantia profitetur, ingressus omnibus volententibus patet. Quod confirmatur Prologo Regulæ S. Benedicti:* « ... *Et quærens Dominus* » *in multitudine populi, cui hæc clamat, operarium suum,* » *iterum dicit: Quis est homo qui vult vitam, et cupit* » *videre dies bonos? Quod si tu audiens, respondeas: Ego.* » *Dicit tibi Deus: Si vis habere vitam.....* » *Confirmatur etiam auctoritate S. Bernardi:* « *Itaque, ut sentio ego,* » *Regula S. Benedicti omni homini proponitur, imponitur* » *nulli: prodest si devote suscipitur et tenetur; non tamen,* » *si non suscipitur, obest. Quod autem in voluntate est sus-* » *cipientis, non in potestate proponentis, voluntarium* » *merito dixerim, non necessarium.*» (De præcepto et dispensatione; C. 1.). *Audiatur et S. Franciscus Salesius:* « *A qui, je vous prie, ces exemples et ces enseignements si* » *signalés de pauvreté, de chasteté et d'abnégation de soi-* » *même ont-ils été laissés? A l'Eglise, sans doute; mais* » *pourquoi? Notre-Seigneur le déclare:* « *Qui potest* » *capere, capiat.* » *Et qui le peut prendre? Celui, certes,* » *qui a le don de Dieu, et personne n'a le don de Dieu que celui qui le demande*» (VIVES. 1866, T. VIII, Controverses, discours LVI P. 477 ETC.). *Bellarminus tandem* (V^A^ Contr. Gen. l. II de Monachis, C. 31.) *ita exponit eamdem veritatem:* « *Illud autem* « *Qui potest capere, capiat* » *duobus* » *modis potest exponi. Primo ut loquatur Dominus de po-* » *tentia proxima, quam non habent nisi illi, quibus jam* » *Dominus inspiravit desiderium efficax continendi, ut*

» *sensus sit*. « *Qui potest capere, capiat* », *id est, qui Dei* » *dono sentiunt sibi intus persuaderi, ut contineant, appro-* » *bent verbum hoc. Ita videntur hoc dictum intellexisse* » *Hieronymus in hunc locum, et Augustinus libro secundo* » *de adulterinis conjugiis* (Cap. XIX) ; *sed non debet hinc* » *deduci, ergo non omnes possunt contineri. Nam etiamsi* » *non omnes habent potestatem proximam, id est vires ad* » *continendum, tamen habent remotam, et possunt, si* » *velint, precibus impetrare potentiam proximam, id est,* » *vires ad continendum, sicut de fide dicitur Joannis capite* » *sexto* : « *Nemo potest ad me venire, nisi Pater traxerit* » *eum.* » *Addi potest venire veniat, id est, qui trahitur,* » *veniat ; qui autem non trahitur, oret ut trahatur.* » *Oratio autem illa promissionem habet, ut idem supra in eodem capite exposuit :* « *Petite et accipietis.* » « *Lucæ* » *capite undecimo* « *Si quid petieritis Patrem in nomine* » *meo, dabit vobis* » *Joannis cap. 14, 15, 16... Porro gene-* » *rales promissiones requirunt quidem certas conditiones...* » *ut id quod petimus, sit secundum ejus voluntatem. Sic* » *enim docet Joannes in Epistola prima, capite quinto.* » « *Hæc est fiducia, quam habemus ad Deum, qui quod-* » *cumque petierimus secundum Ejus voluntatem, audit* » *nos.* » *Non solum est* « *secundum Ejus voluntatem id,* » *quod necessarium est ad salutem, sed etiam id, quod est* » *utile, et utilius, quam ejus oppositum ; neque id solum,* » *quod Ipse imperavit, sed etiam quod consuluit, et lau-* » *davit, et cui praemium maximum promisit.* » « *Secundo* » *dici potest, hunc locum habere eumdem sensum cum illo* » *Matthæi decimo tertio :* « *Qui habet aures audiendi* » *audiat.* » *non enim vult Dominus dicere, non omnes habere* » *aures, sed monet omnes, ut utantur facultate quam* » *habent. Quomodo solemus dicere : Qui habet oculos vi-*

» *deat ; qui habet mentem judicet ; sic igitur et hoc loco* » *Dominus dicit :* « *Qui potest capere, capiat* », *id est, qui* » *habet mentem et judicium sanum, intelligat, judicet,* » *approbet verbum hoc, quod dictum est* « *Non expedit* » *nubere.* » *Quæ vero dicta de continentia, eadem ratione dici possunt de duobus aliis consiliis Evangelicis. Ergo, juxta Bellarminum potentia remota omnibus facta est per propositionem consiliorum Evangelicorum ; potentia vero proxima, sive desiderium efficax quod est Dei vocantis donum, ab omnibus etiam obtineri potest, si orent, si Status Religionis spiritualia commoda serio considerent* (1).

In tuis ergo manibus est, lector benevole, tuam ad hunc præclarum Statum certam facere vocationem : in oratione perseverandum est, ut, Deo adjuvante, pretiosam margaritam invenias — in meditatione étiam perseverandum est, ut inventam quotidie magis intelligas, et intellectam omnibus venditis possidere eligas. Hunc in finem te pro meo modulo adjuvare toto animo cupiens, istam, de Religiosæ Professionis per vota perpetua in Ordine approbato emissæ satisfactoria valore, disputationem collegi et publici juris facio. Eamdem etiam jam professis utilissimam fore spero ; nam per illam et acceptum donum plurimi facient, et Ordinem majori dilectione prosequentur, et vota majori fervore reddere curabunt.

Tandem de suscepti laboris occasionne, et ordine servando verbulum addam. Sacrum recessum, quo ad solemnem Professionem emittendam aptius præpararer, incepturus, fratrem in charitate monentem audiebam : Strenue hisce diebus gratiæ allabora, Religionis enim Professio

(1) Conferatur *Manuel pour le choix d'un état de vie,* par le P. Auguste Damanet, S. J. Edition nouvelle, Ch. VI. Tournai, Casterman, 1878.

alter est Baptismus. Sane ne mihi quidem nova visa est affirmatio ista : attamen, ne, in re tanti momenti, doctrinam minus perspectam in ambiguo tenerem, statim probatissimos, quotquot ad manus habere potuerim, Doctores adire mihi in proposito fuit. Ipsis autem ducibus ab uno ad alterum remissus sum, et singulorum, sententias, quas mihi jam perutiles intelligebam, ne quotiescumque ipsarum fructum carpere voluerim, ad easdem mora et labore plenas renovandas inquisitiones cogerer, in uno codice transcriptas mihi asservare omni cura providebam. Ita vero factum est ut, tempore labente, documentorum collectio indies cresceret, quam, ut in plurimorum utilitatem suscepti laboris fructus cederet, a R. P. Superiore publici juris facere jussus sum. — Hujus libelli materiam in quatuor partibus divisam inveniet lector : in prima parte ordine chronologico ab origine usque ad Wicleffum recensentur documenta, nempe Doctores, ritus et jus canonicum ; in secunda parte Doctores a Wicleffo usque ad Melanchtonem; in tertia parte a Melanchtone usque ad hodiernam diem ; in quarta parte intrinseca præcipua argumenta colliguntur. Jam copiosum frumentum a congregatis fascibus lætus exteras tibi opto, lector studiose, oroque ut in precibus tuis memor sis servi tui devotissimi in Christo,

FR. ROBERTI, ORD. CIST.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

PARS PRIMA.

Antiqua documenta usque ad Wicleffum a. 1324 — m. 2 déc. 1387.

SECTIO PRIMA.

Doctorum testimonia.

APUD antiquos doctores Professio Religionis nunc Baptismo, nunc Martyrio, propter quasdam similitudines, sæpius comparatur. Nemo autem est qui ignoret Martyrium pro Christo a non baptizato toleratum genus esse Baptismi, cujus vices tam in infantibus quam in adultis supplet, quoad remissionem culpæ omnis et pœnæ. In hujus satis notæ veritatis testimonium, textus unus, S. Cypriani, profertur. Sequentia testimonia de Religionis Professionem inter et Baptismum vel Martyrium comparatione erunt. Tandem, in quantum fieri potuerit, testium ætas per mortis annum recensebitur.

S. Cyprianus († 258), Carthaginiensis Ep. et M., in libello uno de Exhortatione Martyrii, in proœmio: Nos qui, Domino permittente, primum Baptisma credentibus dedimus, ad aliud quoque singulos præparemus, insinuantes et docentes hoc esse Baptisma in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius. Baptisma in quo Angeli baptizant, Baptisma in quo Deus et Christus exultant, Baptisma post quod nemo jam peccat, Baptisma quod fidei nostræ incrementa consummat, Baptisma quod nos, de mundo recedentes, statim Deo copulat. In aquæ Baptismo percipitur peccatorum remissa; in sanguinis, corona virtutum. Amplectenda res est et optanda, et omnibus postulationum nostrarum precibus expetenda, ut, qui Dei servi sumus,

simus et amici.— Nota. De eadem veritate verba S. Joannis Damasceni (*in Vitis Patrum, Vita Barlaam et Josaphat*, c. XII) etiam attentione digna:..... Ac proinde quidam eorum alterum etiam Baptismum insuper assumpserunt, hoc est, eum, qui in sanguinis profusione ac Martyrio situs est. Baptismus enim hoc quoque appellatus est, et quidem præstantissimus, ac summa veneratione dignus: neque enim posterioribus peccati sordibus inquinatur. Quem etiam Dominus meus accipiens, Baptismum merito nuncupavit (Luc. XII: Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor donec perficiatur!)

S. Cyprianus, ibid. c. xii. Qui perdet animam suam propter Me, hic salvabit illam. Nec solum animadversos et interfectos divinæ pollicitationis manent præmia, sed etiam si ipsa passio fidelibus desit, fides tamen integra atque invicta perstiterit, et contemptis ac relictis suis omnibus, Christum se sequi Christianus ostenderit, ipse quoque a Christo inter Martyres honoretur, pollicente Ipso et dicente: Nemo est qui relinquat domum, aut agros, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei, et non recipiet septies tantum in isto tempore, in sæculo autem venturo vitam æternam (*Luc* xviii). Item in Apocalypsi (xx) hoc idem loquitur: Vidi, inquit, animas occisorum propter nomen Jesu et sermonem Dei. Et cum in primo loco posuisset occisos, addit dicens: Et quicumque imaginem bestiæ non adoraverunt, nec acceperunt inscriptionem in fronte aut in manu sua, quos universos a se eodem loco simul visos conjungit et dicit: Et vixerunt et regnaverunt cum Christo. Vivere omnes dicit et regnare cum Christo, non tantum qui occisi fuerint, sed et quicumque in fidei suæ firmitate et Dei timore perstantes, imaginem bestiæ non adoraverunt, neque ad funesta ejus ac sacrilega edicta consenserunt.

S. Cyprianus, Sermone V de lapsis: Pax ecce, dilectissimi fratres, Ecclesiæ.... Nemo, fratres, nemo hanc gloriam mu-

tilet, nemo incorruptam stantium firmitatem maligna obtrectatione debilitet : cum dies negantibus præstitutus excessit, quisquis professus intra diem non est, christianum se esse confessus est. Primus est victoriæ titulus gentilium manibus apprehensum, Dominum confiteri. Secundus ad gloriam gradus est, cauta secessione subtractum Domino reservari. Illa publica, hæc privata confessio est. Ille judicem sæculi vincit, hic contentus Deo suo judice, conscientiam puram cordis integritate custodit. Illic fortitudo promptior, hic solicitudo securior. Ille appropinquante hora sua jam maturus inventus est, hic fortasse dilatus est, qui patrimonio derelicto idcirco se cessit, quia non erat negaturus : confiteretur utique si fuisset et ipse detentus.

S. Athanasius († 373) Ep. Alexandriæ, Magnus nuncupatus, et Ecclesiæ Doctor, in vita S. Antonii, cujus amicus et vitæ testis oculatus fuerat, hæc refert :

Post hæc Ecclesiam excepit Maximini persequutio : sanctosque Martyres Alexandriam adductos, relicto ille Monasterio sequutus est, ajens : Pergamus et nos, ut vel vocati congrediamur, vel præliantes spectemus. Et Martyrii quidem desiderio flagrabat ; sed cum nollet sese tradere, Confessoribus in metallis et carceribus ministrabat. Magna quoque ipsi cura in judicii loco, vocatos concertantesque hortari ad animi alacritatem : Martyriumque passuros excipere, atque comitari donec consummarentur. Judex itaque viso tam illius quam suorum intrepido hac in re animo, jussit neminem Monachorum in judicii loco interesse, vel in urbe prorsus versari. Tum aliis omnibus visum est illo die sese occultare : Antonio autem tantum jussio curæ fuit, ut loto ependyte (scapulare), insequente die in edito loco conspicuus staret, atque Præfecto sese nitidus exhiberet. Omnibus rem mirantibus, ipsoque judice id perspiciente et cum militum suorum turma prætereunte, stetit ille intrepidus, ut nostram Christianorum alacritatem animi ostenderet : nam, uti superius dixi, Martyrii desiderio

flagrabat. Itaque mœrenti similis erat quod Martyrium assequi non posset: Dominus autem virum servabat ad nostram cæterorumque utilitatem; ut asceticæ vitæ, quam ex Scripturis ipse didicerat, permultis magister foret. Enim vero multi perspectæ ejus vitæ instituto imitari illum studuere. Confessoribus itaque rursum de more ministrabat, et quasi vinctus cum illis fuisset, assiduum illis officiorum suorum impendebat laborem. Postquam autem cessavit persequutio, beatæque memoriæ Episcopus Petrus Martyrio affectus est, profectus est Antonius, atque iterum secessit in Monasterium, ubi conscientiæ suæ studio quotidie Martyr erat, atque fidei certaminibus dimicabat. Asceticam enim vitam ferventius iniit; jejunabat quippe quotidie, vestimento usus, interno quidem cilicino, externo vero pelliceo, quod usque ad mortem servavit: neque corpus ad deponendas sordes lavit, neque pedes unquam abluit, vel solum in aquam nisi postulante necessitate demersit: nec unquam exutum illum conspexit quispiam, vel nudatum corpus Antonii, nisi cum post mortem suam sepultus est....

Cum aliquando commesturus esset, ubi oraturus surrexisset circa horam nonam, sese mente abripi sensit, quodque prorsus stupendum est, cum staret, sese vidit tanquam extra se positum, et per aërem a quibusdam abductum. Exinde terribiles tetrosque nonnullos vidit in aëre stantes, qui transitum ejus intercludere volebant. Obsistentibus iis qui illum adducebant, postulare illi num obnoxius ipsis esset: cumque rationes ab ipsius nativitate exposcerent, id Antonii duces prohibuere, ajebantque: Culpas ejus omnes a nativitate delevit Dominus: ex quo autem tempore Monachus effectus est, et sese Deo consecravit, liceat rationes ducere. Cum igitur accusarent, nec probare possent, libera illi ac minime interclusa via fuit: statimque seipsum quasi reversum vidit, et intra se stantem, atque omnino Antonium ut ante. (Cfr. *in Vitis Patrum* libro I, libello II, c. 37 vel inter Opuscula Malou, n. LXV).

S. Hieronymus, Presbyter et Doctor († 420). Epistola 8ª ad Demetriadem: Nunc quia sæculum reliquisti et secundo post Baptismum gradu inisti pactum cum adversario tuo, dicens ei, Renuntio tibi, Diabole, et sæculo tuo, et pompæ tuæ, et operibus tuis, serva fœdus quod pepigisti. - Epistola 25 de Blasilla: Revera, si sæculare desiderium, et (quod Deus a suis avertat) delicias hujus vitæ cogitantem mors immatura rapuisset, plangenda erat; nunc vero, cum propitio Christo ante quatuor ferme menses quodammodo se Baptismo laverit, et ita deinceps vixerit, ut, calcato mundo, semper Monasterium cogitaret, non vereris ne tibi Salvator dicat: Irasceris, Paula, quia filia tua facta est filia mea?

S. Hieronymus, in Epitaphio Paulæ, matris, ad Eustochium virginem, filiam (Ep. 27 in fine): Secura esto Eustochium, magna hæreditate ditata es. Pars tua Dominus; et, quo magis gaudeas, mater tua (quæ a die viduitatis suæ ad mortem usque vitam Monasticam duxerat) longo Martyrio coronata est. Non solum enim effusio sanguinis in confessione reputatur, sed devotæ quoque mentis servitus immaculata, quotidianum Martyrium est. Illa corona de rosis et violis plectitur, ista de liliis. Unde et in Cantico scribitur Canticorum: Fratruelis meus candidus, et rubicundus, et in pace, et in bello eadem præmia vincentibus tribuens (*Cant.* 5, 10).

S. Hieronymus, In Esa. 26, 19: Omnes igitur Martyres et Sancti Viri, qui pro Christo fuderunt sanguinem, et quorum fuit tota vita Martyrium, resurgent et evigilabunt, atque laudabunt Deum creatorem suum.

S. Hieronymus. In Ps. 105, v. 8: Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis: „ Sicut enim Martyres laudant Dominum pure in regione vivorum: ita et Monachi, qui die ac nocte psallunt Domino, debent eamdem puritatem habere Martyrum; siquidem ipsi Martyres sunt. Quod enim faciunt Angeli in Cœlis, hoc Monachi faciunt in terris. ”

Eusebius de Morte S. Hieronymi :.... Quid plura ? Ille propter justitiam Martyr : iste vero, etsi ejus spiritum materiale ferrum non abstulit, tamen Martyrii præmii non est expers. Duplex namque Martyrium est. Unum, succumbere gladiis impiorum : alterum, in infirmitatibus et adversitatibus in animo patientiam custodire. Certe hic est vere Martyr, qui propter justitiam, et mansuetudinem, et salutifera doctrinæ suæ verba, in hujus mundi lacrymarum solo, certamen forte a malorum coetu viriliter supportavit, sciens quoniam omnium fortior est sapientia...

Leontius (602 vel 616) Neapoleos Cyprorun Episcopus. Vita S. Symeonis Sali, Confessoris, C.I : Quo tempore regnabat Sanctus Justinianus imperator, Christocolis convenientibus, et Sancta Christi loca adorare desiderantibus. quæ sunt in sancta civitate, secundum consuetudinem. in exaltatione prætiosæ ac vivificæ Crucis (noscunt autem omnes qui convenire ibi solent in hoc sancto et celeberrimo festo, quod fere ex universo terrarum orbe concurrant populorum turbæ, quibus Crux et Christus in amoribus est) : in eodem hoc celebri festo contingit duos quosdam juniores, e Syria oriundos, sibi mutuo occurrere, Deo sic disponente. Nomen uni erat Joannes, et nomen alteri Symeon. Consumptis ibidem paucis diebus, et Sancto Dei festo, recessit deinceps unusquisque ad propriam civitatem. A quo tempore, juxta benigni Dei beneplacitum, duo hi juniores cœperant agere familiariter et diligere inter se, non amplius a se mutuo separati sunt. Ideo, dum redirent ad propria, redierunt simul cum suis parentibus. Nam Joannes patrem quidem habebat, non autem matrem ; et erat junctus uxori tunc temporis. Erat enim quasi annorum viginti duorum. Symeon vero patrem quidem non habuit, sed solam matrem anum, quasi annorum octoginta; neminem vero alium omnino habuit. Omnes itaque erant unius comitatus, et postquam descendebant in vallem Hiericho, et transierant civitatem, contemplatur Joannes Monasteria, quæ jacent

circumcirca Jordanem, et dicit Syriace Symeoni : Nosti quinam habitent in illis hospitiis ex adverso nostrum ? Dicit ei ille : Quinam ? Joannes autem dicit : Angeli Dei. Dicit ei Symeon, veluti miratus : An licet videre ipsos ? Dicit ei ille : Si fiamus ut aliqui ex ipsis, licet. Sedebant itaque duo hi in equis, erant quippe perquam divites eorum parentes. Cum ergo statim descendissent ex equis, dederunt eos servis suis, dicentes : Præcedite nos : simulabant enim in loco sedere. Casu autem inventi sunt in via, quæ deviat, et quæ ducit ad sanctum Jordanem.

6. Stetit igitur uterque, et dicit Joannes, digito ostendens Symeoni : En via quæ ducit ad sanctum Jordanem : et ecce via quæ ducit ad mortem, ostendens ei viam publicam, per quam præcesserant parentes eorum. Agedum itaque, oremus, et stemus unusquisque nostrum in una ex illis, et sortiamur, et hanc quæ sorte obtigerit, viam ingrediamur. Inclinato igitur genu, et editis suspiriis, dixerunt : O Deus, o Deus, o Deus, qui vis universum mundum salvare ; Tu Ipse voluntatem tuam manifesta servis tuis. Et dum ipsi sortem ducerent, forte vicit decem Symeon a Joanne. Stabat autem in via, quæ ducit ad sanctum Jordanem. Tunc hilares facti, omnium suarum facultatum, tanquam si essent somnus, obliti, complexi alter alterum osculatique sunt. Erant autem litteris Græcis apprime instituti, et multa prudentia ornati. Hæc vero omnia virtute præstans Symeon enarravit alicui in urbe Emesa (ubi et stultum se simulavit) diacono sanctæ Catholicæ Ecclesiæ ejusdem Emesenorum civitatis, viro mirabili et virtute conspicuo, qui etiam ex divina gratia, qua pollebat, intellexit operationem Symeonis, in quem idem iste Symeon stupendum, contulit miraculum, cujus miraculi faciemus mentionem suo loco. Idem itaque prædictus Dei amans, et virtute insignis Joannes diaconus, omnem pene vitam sapientissimi Symeonis nobis exposuit ; Deum testatus de iis quæ dicebat, tantumque abesse, ut aliquid addendo narrationi,

veritatem ejusdem contaminasset, quin potius multa lapsu temporis esset oblitus.

7. Dum itaque (ut dicebam) viam ingrederentur, quæ vere ducebat eos ad vitam, videre ipsos erat exultantes et currentes (non secus ac Petrum et Joannem ad vivificum Domini sepulcrum) et mutuo alter alterum desiderio et alacritate excitabant. Nam Joannes metuebat ne affectus matris Symeonem retardaret. Hic rursum hærebat dubius, annon propensio novæ nuptæ, sicut magnes lapis, ad se convertisset Joannem. Et in posterum ex illo tempore, monitoriis et consolatoriis inter se utebantur sermonibus.... Perveniunt ad Monasterium quod vocatur Abbatis Gerasimi. Nam hoc etiam oraverant : Domine Deus in quo jubes nos Monasterio collocari, inveniamus januam apertam ; quod et factum fuit. Erat itaque in hoc Monasterio vir mirabilis, nomine Nicon, homo cui vere congrua cognominatio conversationi erat indita. Nam vincebat omnem diabolicam legionem, miraculis et signis effulgebat....

Postquam autem tonsi essent, Joannes ubertim flevit. Sed Symeon innuebat ut desisteret, omnino ignarus cur fleret. Existimabat enim ipsum flere præ dolore erga parentes suos, et dilectione conjugis suæ. Tonsura et synaxi absolutis, denuo consedit hegumenus, per totam fere diem ipsos admonens. Sciebat enim eos non longo tempore apud se commoraturos, hoc quoque ita disponente Deo. Postera ergo die, quæ erat sancta Dominica, dare ipsis volebat Sanctum Habitum (1). Dum nonnulli Patrum ipsis dicebant : Beati estis, quia cras regenerabimini et mundabimini ab omni peccato, ut mundati fuistis eadem die, qua fuistis baptizati : turbati uterque ad divinum Niconem concurrerunt, vespere Sabbati, et pedibus ejus acciderunt, dicentes : Rogamus te, Pater, ne nos baptizes; nam Christiani sumus

(1) Quod in antiquorum more significat : volebat eos ad Religionis Professionem admittere.

et Christianis orti parentibus. Ille ignarus quidnam audissent e Patribus Cœnobii, dixit ad ipsos : Quisnam baptizare vos vult, filii ? Dixerunt : Domini ac heri nostri, Monasterii Patres, dicunt nobis : Cras rebaptizabimini. Tunc intellexit hegumenus quid ipsis dixissent de Sancto Habitu. Et dixit ad illos : Recte dixerunt, filii : cras enim Sancto et Angelico Habitu, si Deo visum fuerit, induere vos volumus. Ubi innocui pueri Christi intellexerunt nihil in se desiderari, ut Monasticum Vestimentum induerent, dicunt Abbati : Sed enim quanam alia re indigemus, Pater, ut induamur Angelico illo, quem dicis Habitu ?

13. Præterita autem hebdomade, qua colebatur Exaltatio pretiosæ Crucis, vir iste magnus juniori cuidam Sanctum dederat Habitum, et tunc temporis necdum expleverat septem dies, sed ferebat adhuc omnia quæ constitutio exigebat. Quem vir magnus in medium produci permisit. Ubi ergo venit contemplantur ambo et acciderunt illico ad pedes Abbatis, et dixerunt ei: Oramus te, si animo fixum sedet sic nos vestire et tali honore et gloria dignari, ab hoc vespere id agito, ne forte, quoniam homines sumus, humani aliquid per noctem nobis contingat et discedamus tali gloria et gaudio necnon tali obsequio et corona frustrati. Postquam ergo eos audisset hegumenus dixisse de tali obsequii et coronæ privatione, intellexit vidisse eos apparitionem in eo qui ferebat Sanctum Habitum et permisit eum ire ad locum suum, ubi erat, a quo tempore induerat Sanctum Habitum. Postquam ille abierat, valde doluerunt Christi pueri, et dicunt hegumeno : Propter Dominum, Pater, assurge, et fac nos tales, qualis est ille. Nemo enim in toto Monasterio est homo, quem non anteeat honore. Dicit eis Abbas : Quali honore? Tunc dixerunt: Per eum, Pater, qui nos dignatur hoc Habitu et honore, beati sumus et nos, si a tali Monachorum multitudine, cereos gestantium, fuerimus stipati, et talem coronam, splendide lucentem, gestaverimus in nostro capite. Puta-

bant enim hegumenum vidisse ea quæ ipsi conspexerant. Hoc cognito, non dixit ipsis se nihil vidisse, sed tacuit, et simplicitatem magnam ac puritatem obstupuit, potissimum Symeonis.

14. Hoc autem gratiosissime eis dixit vir magnus: Die crastina vos quoque Sancto Habitu induemus, aspirante Spiritus Sancti gratia. Quo assumpto, prout affirmavit sanctissimus diaconus, innocuus Symeon asseveravit, mutuos se vidisse vultus tempore noctis, sicut in die, et similes illi, qui ante apparuerat, alteram in alterius capite coronam. Tanto autem, ajebat, nostra mens affecta est gaudio, ut nec cibum nec potum gustare liberet. Exactis itaque ab assumpto Sancto Habitu duabus diebus, contemplantur illum, qui ante septem dies eum assumpserat, quem etiam coronatum et comitatum conspexerant (ferebat hic mantile et ministrabat; sed non amplius deinceps coronam capiti impositam, nec rursum Monachos cum cereis comitantes habebat), et mirati sunt. Dicitque Symeon Joanni: Crede, frater, tametsi etiam nos septem hosce dies impleverimus, nos adhuc elegantiam illam et gratiam sumus habituri. Et dicit Joannes: Quid vis ut fiat, frater? Cui ille iterum: Si me audis, ut res sæculares quas reliquimus, et valere jussimus, perfecte toto animi nisu valere jubeamus. Aliam namque vitam et res novas contemplor in hoc Habitu. Ex quo enim eodem nos induit Dei servus, flagrant mea præcordia, nescio unde, et quærit anima mea non videre quemquam, neque alloqui nec audire.

S. Joannes Damascenus († 754), Monachus, in vita Sanctorum Barlaam et Josaphat, Indiæ Regis, c. xii, n. 269 etc. (Habetur in Vitis Patrum libro I, libello 17). N. 269: Postquam autem crudeles illi ac belluini tyranni misere, ut eorum improbitas merebatur, perierunt, persecutioque finem accepit, ac pii imperatores totius orbis imperio potiti sunt, succedentes alii, ac zelum illum divinamque cupiditatem sibi imitandam proponentes, eodemque timore ani-

mam sauciam habentes, illud optime secum considerabant atque spectebant, ut ab omni spurcitia puram animam ac corpus Deo exhiberent : sic nimirum se comparantes, ut omnes vitiosarum affectionum actiones amputarent, seipsosque ab omni carnis et spiritus inquinamento repurgarent. Quoniam autem hoc non alia ratione quam per mandatorum Christi observationem, a se præstari posse intelligebant, mandatorum porro observationem ac virtutum cultum in mediis mundi tumultibus ægre consequi se posse perspiciebant, novum quoddam atque ab aliis diversum vitæ genus sibi ipsis instituerunt, ac juxta divinam vocem relictis omnibus rebus, hoc est parentibus, liberis, amicis, cognatis, opibus, deliciis, cunctisque mundi commodis contemptis, in solitudines tanquam exules quidam sese contulerunt, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus (*Hebr.* XI) : in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis, et in cavernis terræ, ac seipsos ab omnibus terrenis jucunditatibus et voluptatibus procul removentes, atque adeo panis etiam et vestimentorum gravi penuria laborantes.

Quod ut facerent, duplex eos causa impellebat : altera ut vitiosarum affectionum materias minime cernentes earum cupiditates radicitus ex animis suis evellerent earumque memoriam obliterarent, ac divinarum ac cœlestium rerum amorem et desiderium in seipsis insererent ; altera ut per afflictionem corpus conficerent, animoque ac voluntate Martyres effecti, ea gloria quam ii qui Martyrio perfuncti sunt obtinent, minime carerent ; verum cum ipsi quoque, quantum in se esset, Christi passionem expressissent, Ipsius quoque regni participes essent. Ad hunc igitur modum optima consideratione adhibita, Monasticam ac solitariam vitam consectati sunt.

271.... Hos igitur admirandos sanctos viros nos quoque indigni et despicabiles imitari studemus ; verum eorum vitæ cœlestis fastigium minime assequimur, sed pro infir-

mitatis nostræ ac miseræ facultatis modulo eorum vitam exprimimus. Atque ipsorum Habitum gerimus, etiam si opera non assequamur. Etenim divinam hanc Professionem peccatum propulsare, atque incorruptionis per divinum Baptisma nobis concessæ sociam et opitulatricem esse perspectum habemus. Ac beatorum illorum virorum sermonibus adducti, caducas atque interitui obnoxias hujusce vitæ res magnopere condemnamus, in quibus nihil firmum et aequabile, quodque eumdem semper statum retineat, inveniri potest, verum omnia vanitas sunt et afflictio spiritus (Eccli. 11) multas temporis puncto tentationes ferens : siquidem in somniis et umbris ac ventis aerem perflantibus imbiciliora sunt.

De Vitis Patrum, libro VI, libello I. n, 9 : Fuit QUIDAM MAGNUS inter prævidentes ; hic affirmabat dicens : Quia virtutem quam vidi stare super Baptisma, vidi etiam super vestimentum Monachi, quando accepit Habitum spiritualem.

S. PETRUS DAMIANUS, Cardinalis († 1072), Opusculo XIII, c. VI : Præterea, dilectissimi, ut vobis tanquam complicibus, et unanimibus in Christo familiariter loquar, quamdam in plerisque Monasteriis teneri consuetudinem novimus, quam ut vos abdicetis, humiliter suademus. Nonnulli namque rectores fratrum plus tribuentes Monasticæ Regulæ quam expediat, quibuslibet a sæculo venientibus, etiam si graviter lapsi sunt, aliam pœnitentiam non imponunt, nisi tantum communem Monasterii ordinem servare præcipiunt : quod profecto quam sit inconsideratum, quam inhumanum, quam penitus indiscretum, quisquis sapit intelligit. Hi nimirum auditores suos Hebalitorum ignobilitate constituunt, dum pœnitentiæ fervorem tollunt, dum non potest solutum debitum omne perfectionis ad alta conscendere ; sed pœnarum terrore semper constrictos, et cautione fenoris obligatos docent sub degeneris ignaviæ torpore languere ; ut non cum his qui juxta Garizim sunt, secure Domi-

num benedicant, sed circa Hebal potius cum ancillarum filiis maledictionum jacula pertimescant. Qui hæc enim agit, quid distat inter decem millia talenta et centum denarios, non attendit. Nam si jus discretionis inspicitur, unusquisque quo magis gravatur offensis eo majori gravandus est pondere satisfactionis. Facilius quippe debitor solvitur qui mutuatus est unciam, quam ille qui libram : nec pari emendatione plectendus est qui ovem rapuit et ille qui bovem. Nam si diligenter attendimus, ipsos quoque Apostolos disciplinæ nostræ principes, et christiani dogmatis duces, juxta prioris vitæ culpas laborum invenimus inter se invicem habuisse distinctiones (1). Nam Paulus quia se in nece Stephani crudelis admiscuit, plura quam cæteri passionum supplicia toleravit : Petrus autem nuptiarum sordes abluit cruore Martyrii (II Cor. XI), et Joannes quia virgo eligitur (Joan. XXI) cæteris omnibus plus amatur ; et quoniam in puerili ætate mundo subtractus graviter non deliquit, non pœnas Martyrii patiendo (I Cor. XV) sed suaviter et quiete quasi dormiendo migravit. Et cum prædicator ille egregius dicat : Ego sum minimus Apostolorum qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei (I. Cor. IX); cum corpus suum castigat servitutique subjiciat (I Cor. IV) : cum quod aliis ipse concedit, de Evangelio nihil accipiat, sed de manuum suarum laboribus vivat; cum ille plus omnibus laboret, et tamen non se comprehendisse formidet (Philip. III) ; si ille, inquam, inter tam magnifica virtutum opera non confidit adhuc in Apostolatu, quid nos infelices et miseri tantum præsumimus de nostræ desidiæ Monachatu ? Quisquis sane ad Religionis hujus Ordinem confugit finem malis imponit. Sed quid prodest a peccatorum perpetratione desistere, nisi et hæc ipsa quæ perpetrata sunt studeat quis districtæ penitentiæ

(1) Exemplum Apostolorum non clare probat ex peccatorum varia debita vindicta passionum variarum distinctionem fluxisse. Sic Dominus de Paulo : « Vas electionis est Mihi iste... Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati. » (Act. IX, 15. 16).

satisfactione delere? Sed quia mihi fortasse non creditur, quid de hoc in pastorali libro (parte III, c. I adm. 31. b) perhibeat beatus Gregorius Papa, inquiratur, ubi ait: „ Admonendos esse qui peccata deseruerunt, nec tamen plangunt, ne jam relaxatas æstiment culpas, quas etsi agendo non multiplicant, nullis tamen fletibus mundant." Quæ videlicet tam plena, tam evidenti illic sunt ratione digesta, ut quisquis diligenter ea perlegerit, ex hac re de cœtero dubitare non possit; hic nos apponenda non ducimus, quia prolixitatis fastidium devitamus. Et revera quomodo de reatus sui relaxatione securus est qui ad locum pœnitentiæ veniens, pœnitentiam non observat (1). At fortassis objicitur, quia præter id quod commune est, speciale cuiquam venienti a sæculo jejunium in regula non jubetur. Ad quod facile respondemus: quia B. Benedictus sua quidem præcepta Monachis edidit, sed judicantes de peccatoribus sacros canones non destruxit (2), imo omnia catholica scripta firmavit: conversis plana dedit præcepta vivendi; peccatoribus autem pœnitentiam non diminuit, alioquin murmurare possent, et juste conqueri tam ii qui in puerili ætate, quam qui a gravibus custoditi ad conversationem veniunt si eumdem vivendi modum tenere cum his qui criminibus gravati sunt, compelluntur (3). Nam si aliter jejunare debemus nunquam, nec aliam agere pœnitentiam nisi quæ in eadem regula sancta præcipitur, cur ibi (4)

(1) Minime omittenda est pœnitentia de peccatis perpetratis; ast levissima Religio major est satisfactio quam omnis a Sacris Canonibus imposita pœnitentia, ut affirmat S. Thomas, com. in 4 Sent, dist. 16, Litt. med.-S. Doctor hic arguere tantum intendit illos qui ad locum pœnitentiæ venientes, pœnitentiam non observant: et ex historia scitur quomodo Ordinem non observabant. Verba S. Gregorii probant contra illos qui in sæculo, de pœnitentia non curant — vel etiam qui in Religione tamen hujus Status pœnitentiam perfectam non observant: quod intendit hic S. Petrus Damianus.

(2) Legatur infra tota Sectio Tertia hujus primæ partis.

(3) Mortificatio vitæ Religiosæ nonnisi secundarie satisfactionem perfectam peccatorum procurat; sed directe charitatis perfectionem intendit removendo obstacula, ut docet D. Thomas, 2. 2, q. 186, a 1, ad 4.

(4) Ex capitibus 41 et 49 evidens fit S. P. N. Benedictum intelligere

jussum est (S. Ben. Reg. c. 53) : „ ut jejunium a priore frangatur propter hospites : nisi præcipuus jejunii dies sit. " Age nunc, lege, percurre, revolve folia, solerter investiga, et dies ille jejunandi præcipuus qui hic in transitu dicitur, ostende ubi sancti doctoris auctoritate jubetur ; et cum invenire non poteris necessario confitere quia sanctus vir non sola quæ scripsit observare nos voluit, et dum sua condidit, edicta Patrum præcedentium non cassavit. Sed ne me quis temeritatis incuset, tanquam qui sacrum Ordinem derogando dijudicem, atque depretiem, nos sanctæ Professioni tantum tribuimus, ut et secundicerium Apostolici ordinis et secundum nihilominus fateamur esse Baptismum.

N. B. Hæc, quam hic insequitur S. Petrus Damianus, nihilominus praxis fuit S. Bernardi, ut ex ejus vita lib. VII, c. XXII, constat (cfr. infra). Ad hunc autem locum notat Mabillon : „ Huic obstare videtur Petri D. Opusculum 13, ubi quosdam Monasteriorum rectores arguit quod quibuslibet a sæculo venientibus, etiam si graviter lapsi sint, aliam pœnitentiam non imponunt, nisi ut communem Monasterii ordinem servent. Et id quidem verum esse potest de Monasteriis laxioris disciplinæ, non strictioris, qualis erat apud Claræ-vallenses, maxime ubi conversi animus magno pœnitentiæ sensu afficitur. " — Hæc Mabillon et quidem jure merito : 1° De Monachis laxioris vitæ, quales erant sæculo XI, agit S. Petrus D. in toto opusculo 13 et hic in c. VI : „ Quid nos infelices et miseri tantum præsuminus de nostræ desidiæ Monachatu ?... qui ad locum pœnitentiæ veniens, pœnitentiam non observat. " — 2° In plerisque Monasteriis istam teneri consuetudinem agnoscit, et tamen illam, non absolute, sed relate ad prædictos impugnat :

---

jejunium, ab Ecclesia omnibus fidelibus præscriptum, esse præcipuum illud quod non vult a Priore frangi. Et hæc est communis interpretatio verborum c. 53 « Jejunium a Priore frangatur propter hospitem ; nisi forte præcipuus sit ille dies jejunii qui non possit violari:» id est, jejunium Regulæ a Priore frangatur propter hospitem ; sed aliter fiet, si dies est jejunii ab Ecclesia ipsa præscripti.

„ quam ut *vos* abdicetis, humiliter suademus." — 3° Expressis verbis thesim generalem reservat: „ Sed ne me quis temeritatis incuset, tanquam sacrum Ordinem derogando dijudicem, atque depretiem, nos sanctæ Professioni tantum tribuimus, ut et secundicerium Apostolici ordinis, et secundum nihilominus fateamur esse Baptismum."

S. Petrus Damianus († 1072), Cardinalis. Opusc. XVI, c. VIII, n. 370 et 371, contra errorem retrahentis ad sæculum Religiosos qui in gravi infirmitate ad Sanctum Habitum et ad Professionem Religionis, probationis spatio non servato, quod tunc in Ecclesiæ disciplina vigente licebat, admissi fuerant, ita scribit:

Age ergo quid est quod dicitur „ quin nisi qui regulariter protractus et per annale spatium sit probatus, etiamsi conversus sit per ægritudinem, absolutam relabendi ad sæculum habeat libertatem?" Numquid qui hoc de valentibus censuit, idem nihilominus de languentibus judicavit? Sed quis vel insanæ mentis homo non videat quia quilibet languidus, vel jam morte propinquus hanc observationem prorsus adimplere non valeat? Si igitur omnes simul homines S. Benedictus hac sententia comprehendit, patet profecto quia ægris et omnino debilibus qui ad perferendum non assurgunt, conversionis aditum obseravit. Sed quis ferat hoc de Sancto Viro suspicari aliquatenus posse, qui non solum ab hoc et ab omni peste hæreticæ pravitatis alienus extitit, imo Spiritu Sancto plenus tot signis attestantibus evidentissimis claruit. Quis illum ferat per novatianorum hæresim homines ad desperationem trahere qui per sacræ doctrinæ sinceritatem tot animas hominum videtur quotidie ad spem vitæ æternæ reducere? Fateamur ergo necesse est hujus præcepti normam incolumes tangere: ad ægros vero nullatenus pertinere. Sed numquid si absque corporali molestia quisquam ad Monachicum Ordinem sine probatione devenerit, huic nequaquam redire post tergum noster Episcopus prohibebit? Dic, obsecro, legisti

aliquando Monasticæ vitæ propositum secundum esse Baptismum? Sed quia hoc invenire in dictis Patrum perspicuum est, negare licitum jam non est. Non ignoras etiam quia decretali rursus antiquorum sanctione præcipitur ut ad Baptismi gratiam productiora temporum intervalla tendantur. Ut enim Ecclesiasticæ institutionis ordinem breviter tangam, sicut septem sunt dona Spiritus Sancti, ita etiam septem dona Baptismi, a primo videlicet pabulo sacrati salis, et ingressu Ecclesiæ usque ad Confirmationem Sancti Spiritus per chrisma; quæ omnia, sicut frequentius agitur, expedit ut per diuturna temporum spatia compleantur. Sed si quis postposita morosæ intercapedinis observantia, ad plenitudinem Baptismi repente proruperit; hunc, rogo, Baptismum invalidum judicabis? Docebis hunc hominem debere totum, quod acceptum est, parvipendere; et, ut salvus fieri possit, adhuc ad purificationis mysterium properare? Loquere, responde: censebisne hunc hominem Baptismi lavacrum jure posse repetere, qui ad Baptismum non indicto ordine præcipitanter ausus est prosilire? Cur taces? Nimirum tantopere loquendi avidus, non sic obmutesceret, si haberet aliquid quod rationabiliter responderet. Sed non ambigo, quin constanter affirmes et hunc Baptismum adeo ratum esse, et validum, ut quisquis in illo renascitur, jam procul dubio sacrilegum sit, et omnino nefarium, si ad ejusdem regenerationis Sacramentum denuo revocetur. Consequitur ergo, ut quod ex primo Baptismo sentire compelleris, hoc etiam de secundo, Monachico scilicet instituto, inevitabiliter fatearis. Et sicut prior semel susceptus nullatenus valet repeti, ita etiam secundus nulla potest juris ratione contemni.

Verumtamen dic, obsecro, quis Sanctorum, quis antiquorum Patrum sub hac, quam insolenter asseris, probatione conversus est? Numquid Antonius? Numquid Paulus? Numquid Hilarion? Numquid ipse Sanctus Benedictus, qui ista, sicut tu falleris, videtur præcipere, sub hac proba-

tionis observantia ad Monachicum legitur Ordinem pervenire? Percurre, quæso, cunctas veridicas antiquitatis historias, et cum non possis vel unum per tam longa temporum intervalla probatum ostendere, necesse est ut confitearis te calcetenus superatum, victoris insultationibus subjacere. Sane quo pacto cuncta exempla veterum, omnia gesta Patrum arroganti supercilio præteris, et contemptis omnibus, ad unius te sententiæ centrum obstinatus astringis? Nam si illi procul dubio Sancti sunt, necessario sunt imitandi. Quod si imitandi non sunt, nec omnino Sancti sunt. Cernis, o bone litigator, quorsum vergat hæc tua docta sententia? Cogeris ergo necessario confiteri vel Sanctos Patres nostros omnino Sanctos non esse, vel eos, qui noviter convertuntur, magnopere probationibus non egere. Erubescat ergo lingua phrenetica, et quæ nescit esse facunda, discat esse vel muta. Nescit aliquid utiliter dicere, sciat saltem sine damno tacere. Serpit enim sermo iste perversus, ut cancer qui nisi ab uno membro cisurgio acutissimæ reprehensionis abscinditur, nulli dubium quin ad sana Ecclesiæ membra pestifere dilatetur.

S. Anselmus († 1109) Archiepiscopus Cantuariensis, libro de Similitudinibus, c. 192. De verbis defuncti: Verba defuncti Osberni Monachi, ad Anselmum in spiritu delata, et ab eodem Anselmo postmodum exposita: Ter, inquit ille defunctus, antiquus serpens insurrexit in me, sed Ursarius Domini mei liberavit me; hæc dicens evanuit. Benedictus vero Pater noster visionem illam expergefactus a somno ad memoriam revocans ac singula propensius inspiciens, quando et quibus libuit sic eam exposuit: Primo, inquiens, pro peccatis quibus obligatus ante Baptismum fuerat, in eum insurrexisse hostem antiquum; secundo, pro peccatis quæ fecit post Baptismatis Sacramentum ante Professionem: tertio, pro illis quæ fecit post Professionem ante obitum. Sed ter cecidit: peccata quibus astrictus fuerat ante Baptismum, fide parentum in ipso Sacramento delcta, dia-

bolus invenit. Illa etiam quæ in sæculo vel in Monasterio ante Professionem commisit, in ipsa Professione Monastica æque abolita, serpens ille antiquus reperit. Quæ vero post Professionem fecit, vera confessione ante obitum Monachus ille delevit. Per illum Domini Ursarium designari dixit Ordinem Angelicum. Sicut enim ursarii ursos, ita Angeli spiritus malignos a sua sævitia coërcent et opprimunt, ne nobis noceant quantum volunt.

N. B. Hoc caput 192. olim fuit 191 et ultimum ; unde sæpe citatur vel ut 191 vel ut ultimum.

Rupertus († 1135) Abbas Tuitiensis et antea Monachus S. Laurentii Leodii. In Regulam S. Benedicti, l. IV, c. IX : Dic mihi. Habitum Monachicum solemnemque ordinationem ita observare, ut a Sanctis Patribus traditum, et ab Ecclesia susceptum est, superfluum vel otiosum putas, an non ? Hujusmodi cum Habitum sive hoc indumentum Sancti Patres, imo qui in Sanctis Patribus operatus est, voluit haberi mortificationis signum, utpote Crucis Dominicæ similitudinem, ita ut in consecratione sui, Monachus rursus Christo quodammodo commoriatur et consepeliatur, videlicet triduano silentio capite cooperto, mortificationis vel susceptæ pœnitentiæ circumferens testimonium, spectaculumque factus et Angelis et hominibus, tertia tandem die deposito capite reveletur ab Abbate, dante sibi osculum pacis in similitudinem Resurrectionis Domini, qui discipulis suis post triduanam eorum tristitiam, redivivus apparens dixit eis : Pax vobis. Absit ab omni qui sub Deo vivit, et matris gratiæ dulcedine lactari cupit, ut pro nihilo ducat, vel destituere velit institutionem hujusmodi. Est enim quoddam magnum pietatis asylum, quo refugere possit omnis, qui crimininibus superductis primam Sancti Baptismatis gratiam perdidit, et primam recuperare stolam.

Idem, De operibus Spiritus Sancti, l. VIII, de Pietate l. c. VIII: Quomodo clementissimus Pater, revertentem filium stola prima induat, si sacerdotalem illi gloriam canonica

neget auctoritas, et quod primam stolam in Habitu Monachico conversus possideat (Lucæ 15). Quid igitur faciet clementissimus Pater ei, qui revertitur filio, si non solum est ut dicat; peccavi in cœlum et coram Te, sed etiam coram hominibus peccavit, et apud homines de peccato suo detectus atque infamatus est? Potest enim fieri, et sæpe factum est, ut non minus compungatur pœnitentialis, qui in crimine notus erat, quam ille, qui peccavit quidem in cœlum et coram Patre, sed latuit homines. Quam ergo vel unde accipiet stolam Pater, qua illum induere possit, stimulante et viscera ejus concutiente Spiritu pietatis? O Providentia Patris, o artificium Dei, o divitiæ Bonitatis! Invenit in quo tristem consoletur, reperit in quo dejectum sublevet, providit Sibi, in quo ignobilem clara nobilitate perornet. Dicimus autem Ordinem Habitumque Monachicum, quem secundum dicere Baptismum Sancti Patres non dubitaverunt. Episcopus (ait Gregorius) debet Missam celebrare in ordinatione Presbyteri et Abbas in consecratione Monachi, et quatuor orationes super caput ejus dicere, et sicut per quatuor Evangelia docetur, ita per quatuor orationes consecretur, et ita usque in diem tertium velatum habeat caput cum silentio summo, et debita reverentia, figuram gestans Dominicæ Passionis. Die autem tertia tollat Abbas capitium de capite ejus, ut deposita tristitia veteris peccati, revelata facie gloriam Domini speculetur. Secundo ergo baptizatus est, et emundatus ab omnibus peccatis. Et subinde. Tribus diebus sunt in silentio juxta Apostolos, qui ob metum Judæorum in conclavi residebant, usque dum die tertia Dominus resurgens dicit illis: Pax vobis. Sic Abbas det pacem Monacho, et capitium de capite ejus auferat. Sed et de ipso schemate Monachi, sanctæ memoriæ Bonifacius Papa dicit post aliqua: Credimus a Sacerdotibus ligandi solvendique officium digne administrari, si tamen digne contigerit eos hoc ministerio sublimari. Quod evidenter affirmat, quisquis statum Monachorum Habitumque considerat. Angelus

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

enim Græce, Latine nuntius dicitur. Sacerdotes igitur Monachi, atque Canonici, qui Dei præcepta annuntiant, Angeli vocantur. Sed unusquisque Angelicus Ordo quanto vicinius Deum contemplatur, tanto sublimius dignitate firmatur. Numquid non Cherubim sex alis velantur? Duo in capitio, quo caput tegitur, veris demonstrantur assertionibus. Illud vero quod brachiis intenditur, alas duas esse dicimus, et illud quo corpus conditur alas duas. Sic sex alarum numerus certissime conficitur. Igitur filio prodigo revertenti, quantumcumque sit dejectus et infamis, habet et scit clementissimus Pater unde stolam primam, aut prope primam proferre possit, scilicet Habitum sanctæ conversationis. Habitum Monachicum reverendum et omnino pœnitentialem, atque ideo reverendum, quia pœnitentialem. Quis enim hunc Habitum pro eo, quia pœnitentialis est non revereatur, nisi qui se pœnitentia non indigere arbitratur. Porro, qui sic existimat, quod pœnitentiæ opus non habeat, sciat quia propter eum non venit Dominus clementissimus, Patris clementissimi Filius, sicut quodam loco Iste testatus est: Non veni vocare justos, sed peccatores (Matth. 9). Stola ergo Habitus iste est, non vilis, quam per notissimos atque orthodoxos viros, quorum sine dubio habitator erat, adinvenit hic Spiritus, hujus Patris Spiritus pietatis.

C. IX. Quum pœnitentia etiam justis sit necessaria, stola ista et justis quoque ut et criminosis offertur.

C. X. De Patre clementissimo cur sic dicitur, et occurrens cecidit super collum ejus, et quod vere super collum ejus ceciderit Pater, qui pro peccatis humiliter incedit. – Pietatem superius veram esse Religionem diximus. Hæc autem, scilicet vera, et non ficta Religio primum intus corde radicatur, deinde per sermonem, Habitumque foras extenditur, quia videlicet ex abundantia cordis os loquitur, et habitus incessusque hominis enuntiat de eo. Hujus Religionis sive pietatis efficientem causam pulcherrime atque sanctissime, cauto lectori locus iste innuit, ubi sic dicitur:

Et accurrens cecidit super collum ejus. Nam revera quemcumque videris, aut persenseris confracto corde ingemiscere, et demisso capite incedere, juxta disciplinam Magistri veri dicentis: Tollite jugum meum super vos, et discite a Me, quia mitis sum et humilis corde, non vane dicere poteris, quia cecidit Pater super collum ejus, et pondere suo confregit atque contrivit cervicem cordis ejus, quatenus non valeat erectus ambulare, et interdum nec oculos in Cœlum levare, sed fixis oculis terram aspiciat, commemorans sibimet quia pulvis es et in pulverem reversurus es. Hoc ipsum verbis aliis facturum Se promittens Dominus, in Oseæ (10) dicit: Ephraïm docta diligere trituram, et Ego ascendi super pulchritudinem colli ejus, ascendam super Ephraïm, arabit Judas, confringet sibi sulcos Jacob. Seminate vobis de veritate justitiam, et metite in ore misericordiæ. Quid enim Ephraïm vitula docta diligere trituram, nisi anima lasciva assueta ferre labores mundi hujus, et servitutem miseram propter explendam luxuriam suam? Talis nimirum fuerat iste filius, qui doctus fuit pascere porcos, et ferre servitutem indignam, donec reverteretur in se, et diceret: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo? Sed Ego, inquit, ascendi super pulchritudinem colli ejus, ascendam super Ephraïm. Qualiter hoc fecerit, vel faciat hic venerabiliter indicat Ipse dicens de patre familias, quem Ipsum esse nemo qui dubitat, quia videns revertentem filium suum, misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum. Nam, sicut jam diximus, cadere super collum, hoc est, multum humiliare peccatoris animum. Quid deinde? Arabit, inquit, Judas, id est, confitebitur, ille jam propter ipsam confessionem dignus, qui vocetur Judas, arabit, inquam, confitendo, id est, aperiet terram cordis sui. Jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum ex mercenariis tuis. Tunc, et quod sequitur, faciet, id est, seminabit sibi in veritate justitiam,

et metet in ore misericordiæ dicentis: Cito proferte stolam primam, metet eandem, sive justitiæ stolam, sive stolæ justitiam.

S. Bernardus, Abbas Claræ Vallis et Doctor († 1153). Libro de præcepto et dispensatione c. XVII in fine: Audire et hoc vultis a me, unde inter cætera pœnitentiæ instituta Monasterialis disciplina meruerit hanc prærogativam, ut secundum Baptisma nuncupetur. Arbitror ob perfectam mundi abrenuntiationem, ac singularem excellentiam vitæ spiritualis, qua præeminens universis vitæ humanæ generibus hujusmodi conversatio, professores et amatores suos Angelis similes, dissimiles hominibus facit: imo divinam in homine reformat imaginem, dum per hoc quod mortificamur membra nostra quæ sunt super terram, rursum Christum induimus, complantanti denuo similitudini mortis ejus. Sed et quomodo in Baptismo eruimur de potestate tenebrarum, et in regnum transferimur claritatis æternæ; ita et in sancti hujus secunda quadam generatione propositi, de tenebris æque non unius originalis, sed multorum actualium delictorum in lumen virtutum evadimus, reaptantes nobis illud Apostoli: Nox præcessit, dies autem appropinquavit (Rom. 13).

S. Bernardus, Serm. I in Octava Paschæ. De Fide vincente, et de tribus testimoniis in cœlo et in terra. Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum. I Joan. V, 4... nº 6. Sed hodie quoque ad nos per aquam et sanguinem venit, ut sit aqua et sanguis testimonium adventus ejus, fideique victricis. Non solum autem, sed testimonium est majus his quod perhibet spiritus veritatis. Horum trium testimonium verum certumque est, et felix anima quæ meretur illud accipere: Tres enim sunt qui testimonium dant in terra: spiritus, aqua, et sanguis (I Joan. V, 8). In aqua quidem Baptismum intellige, in sanguine Martyrium, in spiritu Charitatem. — Spiritus enim est qui vivificat; et fidei vita, dilectio. Denique si quæris quid Spiritui et charitati? Res-

pondeat Paulus: Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis (Rom. V, 5). Necessario quoque Spiritus additur aquæ et sanguini, cum (eodem Apostolo teste) sine Charitate quidquid habeas, nihil prosit (I Cor. XIII.). — n. 7. Jam vero quia Baptismum aqua; Martyrium diximus sanguine designari; memento et unicum et quotidianum esse Baptismum, similiter et Martyrium. Est enim Martyrii genus et quædam effusio sanguinis in quotidiana corporis afflictione; Est et Baptismus aliquis in compunctione cordis, et lacrymarum assiduitate. Sic quippe infirmis et pusillis corde necesse est, ut quem semel pro Christo ponere non sufficiunt, saltem mitiori quodam, sed diuturniori Martyrio sanguinem fundant. Sic et Baptismum Sacramentum quoniam iterari non licet, his qui sæpius in multis offendunt, frequenti oportet ablutione suppleri. Unde et Propheta: Lavabo, inquit, per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo (Ps. VI, 6).

.... Certum quippe triumphati mundi testimonium est, si corpus castiges, et subjicias servituti, ne perniciosa libertate serviat voluptati: si fletui præbeas oculos magis quam petulantiæ vel curiositati: si denique spirituali dilectione flagrans nulli animum dederis vanitati. (Quod castitate, paupertate et obedientia fit in Religiosis quos alloquitur S. Bernardus).

Idem, Sermone undecimo de Diversis, de duplici Baptismo, etc., n. 3: Veni, Domine Jesu, veni etiam nunc Jesu Bone, ejice iterum fortiter, quem nos insipienter admisimus. Tunc enim vere liberi erimus etiam nunc, si nos liberaveris. Irritum fecimus fœdus primum: tibi peccavimus, Domine, satanæ et operibus ejus obligantes denuo nosmetipsos: jugo iniquitatis colla ultronea submittentes, et subjicientes nos miseræ servituti. Itaque, fratres mei, rebaptizari nos convenit, secundum fœdus inire necesse est: opus est professione secunda: nec jam sufficit abrenuntiari diabolo et

operibus ejus: mundo pariter abrenuntiandum est, et propriæ voluntati. Ille enim seduxit, illa traduxit nos. In priori nimirum Baptismate, quando nihil nobis adhuc voluntas nostra nocuerat, satis fuit abrenuntiare diabolo, cujus profecto invidia peccatum pariter et mors per unum ingrediens in omnes homines pertransivit. Ceterum postquam mundi fallentis illecebras, et infidelitatem propriæ voluntatis manifeste sumus experti; de cetero jam in secundo (ut ita dixerim) conversionis nostræ Baptismate merito prorsus, et non ad insipientiam nobis, non resarcire tantummodo fœdus primum, sed etiam roborari sollicitè, ipsis quoque affectibus pariter abrenuntiamus. Studeamus proinde, dilectissimi, immaculatos nos ab hoc sæculo custodire, scientes, quoniam religio munda et immaculata coram Deo hæc est. Caveamus autem a propria voluntate, tanquam a vipera pessima et nequissima, et quæ sola deinceps damnare possit animas nostras.

S. Bernardus, De Diversis Serm. 22. De quadruplici debito. n. 1. In via estis, Fratres, quæ ducit ad vitam, in via recta et impolluta quæ ducit ad civitatem sanctam Jerusalem illam quæ libera est, quæ sursum est, quæ est mater nostra.... n. 2. Quid enim est (gratias Illi cujus gratia totum factum est) quod vita vestra vitam Apostolicam repræsentet? Illi relinquerunt omnia, et in schola Salvatoris sub Ejus præsentia congregati, hauserunt aquas in gaudio de fonte Salvatoris, Ipsum vitæ fontem in Ipso fonte bibentes. Beati qui viderunt. Numquid non et vos non in præsentia, sed in absentia Ipsius, non ad verba oris Ejus, sed ad vocem nuntiorum Ejus simile aliquid fecistis? Defendite vobis hanc prærogativam, quod illi ad visum et ad verbum, vos ad auditum et nuntium credidistis. Sic state in Domino, Carissimi, ut quemadmodum illi in fame et siti, in frigore et nuditate, in laboribus et jejuniis, et vigiliis, et cæteris observantiis justitiæ viam regiam tenuerunt: sic et vos, et si non eorum meritis, tamen exercitiis aliquatenus coæ-

quati, dicatis Domino Deo vestro cum veneritis ante thronum gloriæ Ipsius: Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala. In veritate dico vobis, quia in veritate estis in via recta, in via sancta, quæ perducat ad Sanctum Sanctorum. Mentior (quod ad consolationem vestram dico) si non ex manibus hujus peccatoris, Monachorum, Novitiorum et Conversorum animæ ad cœlestia gaudia volaverunt, tam liberæ quam liberatæ de carcere nostræ mortalitatis. Si quæritis unde id sciam, scitote quia certissima mihi signa inde facta sunt et ostensa.

S. Bernardus, Serm. 4 In adventu Domini, n. 5: Magna quædam pœna est paupertatis, qua tam cito volatur ad Regnum Cœlorum. Nam in åliis virtutibus quæ sequuntur, promissio futuro tempore indicatur: paupertati non tam promittitur, quam datur: unde et præsenti tempore enunciatum est. Quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum (Matth. 5, 3): cum cœteris dicatur: Hæreditabunt... consolabuntur, et similia.

.... n. 7. Imitemur quoad possumus, Eum qui sic dilexit paupertatem, ut quamvis in Ejus manu essent fines terræ, tamen non habuit ubi caput reclinaret (Luc. 9, 58); ita ut discipulos adhærentes Ei legamus fame compulsos spicas manibus confricasse, cum per sata transirent (Luc. 6, 1).

Item, Sermone trigesimo septimo de Diversis, nº 2. Triplicem hominum generationem, naturalem, supernaturalem in Sacramento et in Professione Religionis distinguit S. Doctor. De tertia autem ita prosequitur n. 3: Ceterum ad hoc statim quæsivit nos Dominus, ut quæreretur tempore opportuno, cum jam posset quæri, posset et inveniri. Væ nobis, quoniam tamdiu dissimulavimus et negleximus quærere vitam, quærere Eum qui solus bonus est, quærentibus Se, animæ speranti in Se. Væ tibi generatio prava et exasperans, mala et adultera generatio, mendacium usque hodie quæritans, et diligens vanitatem, nec servans fidem! cui desponsata fueras veritati. Numquid non opus habet

ejusmodi generatio nasci denuo, iterum generari ? Et maxime. Nempe genimina viperarum facti, tanto magis nunc necesse habent in ventrem matris gratiæ iterato introire et renasci, quanto facta noscuntur posteriora eorum deteriora prioribus. Gratias ipsi gratiæ, et (si dici potest) plus quam gratuitæ miserationi, quæ beneficiis obruit non modo immeritos, sed nimium male meritos et ingratos. Gratias Ei qui regeneravit vos etiam hac vice in spem vitæ, ut adoptionem filiorum reciperetis. Voluntarie enim nunc proprie genuit vos, verbo utique veritatis. Nam quod prius vos genuit Sacramento equidem pietatis, etsi voluntarium generanti, genitis tamen voluntarium esse non potuit, in quibus adhuc nullus voluntatis usus, nullum rationis exercitium fuit ; ac proinde nulla generationis ipsius aguitio, nulla tanti notitia genitoris. Nunc demum voluntaria generatio voluntarium exhibet sacrificium, juxta illud (Ps. 53. 8) : Voluntarie sacrificabo Tibi, et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est. Hæc est generatio quærentium Dominum (Ps. 23. 6). Quærentium, an habentium dicam ? Habentium utique et quærentium.

Idem, Epistola 411 (373) ad Thomam Beverlacensem præpositum, quem ad vitam religiosam invitat :... Utinam nostrum hoc gaudium cito perveniat usque ad Angelos, qui de tua pœnitentia et conversione, sicut et de ceteris peccatoribus, jucundum expectabant festivumque convivium. Florem tuæ juventitis, et tantæ indolis specimen, o si mihi in manibus venire contingat ! si liceat Deo servare immodicum, illibatum offerre in odorem suavitatis! Sed forte me sero locutum tua responderit conscientia, quod jam non valeat illibata servari, quam multis fortasse sentis maculasse criminibus. Non me sane terret hoc, et peccator non horreo peccatorem : nec ægrum sperno, cum ipse me sentiam ægrotare. Sed etsi me sanum putas, non recuso infirmus infirmo fieri, ut infirmum lucrifaciam ; libenter audiens et in hoc Pauli consilium, qui ait (Gal. 6. 1.) : Vos qui spiri-

tuales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis; considerans te ipsum, ne et tu tenteris. Nec reputo immanitatem morbi, cogitans peritiam Medici, simul et pietatem sæpe mihi expertam in propriis magnisque languoribus. Quantislibet sordeas vitiis, quantumvis fœdam geras conscientiam, horrendisque licet sceleribus tuam adolescentiam sentias inquinatam; et si inveteratus dierum malorum computrueris tanquam jumentum in stercore suo: mundaberis sine dubio, et super nivem dealbaberis, renovabiturque ut aquilæ juventus tua. Scio denique qui ait (Rom. V. 20): Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia. Bonus Medicus qui sanat omnes infirmitates animæ (Ps. CII. 3) replens bonis desideria ejus.... In promptu certe tibi est, aut me probare mendacem, aut te divitem. Tantum veni et experire. Quam lætis gressibus occurremus cum panibus fugienti, quam lætis amplexibus excipiemus filium adolescentiorem? Cito proferetur stola prima (Luc. XV. 24) et dabitur annulus in digito, dicetur-que: Hic filius meus mortuus fuit, et resurrexit; periit, et inventus est.

Idem, Sermone primo in Festo omnium Sanctorum, in fine: Verumtamen quid sibi vult quod eadem promissio facta est pauperibus et Martyribus, nisi quia vere Martyrii genus paupertas voluntaria est? Beatus vir, ait propheta (Eccli. 31. 8), qui post aurum non abiit, nec speravit in thesauris pecuniæ. Quis est hic, et laudabimus eum. Fecit enim mirabilia in vita sua. Quid mirabilius aut quod Martyrium gravius est, quam inter epulas esurire, inter vestes multas et pretiosas algere, paupertate premi inter divitias, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster ipse appetitus? An non merito coronabitur qui sic certaverit, mundum abjiciens promittentem, irridens inimicum tentatem, et (quod gloriosius est) de semetipso triumphans, et crucifigens concupiscentiam prurientem? Denique propterea pauperibus pariter et

Martyribus regnum cœlorum promittitur quia, paupertate quidem emitur, sed in passione pro Christo absque omni dilatione percipitur.

Idem, Sermone trigesimo in Cantica, n. XI: Qui amat animam suam perdet eam (Joan. XII). Perdet eam dixit, sive ponendo ut Martyr, sive affligendo ut pœnitens. Quamquam genus Martyrii est, spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius.

Quod docebat Sanctus Doctor, hoc et vita sua inculcabat, TESTE ALEXANDRO III in ejus canonizatione 15 Kal. Febr. 1174: In afflictione vero corporis sui usque adeo sibi mundum seque mundo reddidit crucifixum, ut confidamus Martyrum quoque eum merita obtinere Sanctorum, quem confessionis ordine, et parcimonia vitæ tam longum constat duxisse Martyrium.

De VITA S. BERNARDI ABBATIS, liber VII, C. I. Accidit aliquando in Clara-Valle, dum Missa in Conventu celebraretur, eodem venerabili Patri præsente, ut lecto Evangilio, Sacerdotis manibus lavandis aqua per negligentiam deesset: quæ quum aliquantulum diutius expectaretur, Conventus interim versis vultibus ad Orientem stabat. Cumque Pater sanctus in stallo suo inter gradum presbyterii staret, Monachus quidam ante paucos dies defunctus ei visibiliter apparuit; et stans contra eum, caput quasi redarguendo movere cœpit. Quem famulus Dei videns, agnovit, et quare caput contra se agitaret quæsivit. Cui ille: O si sciretis, quantos et quales socios haberetis in cœlis! profecto caveretis vobis ab omni negligentia. Quod verbum Sanctus gratanter audiens, respondit: verene putas quod omnes qui in hoc Monasterio sunt fratres, salvabuntur? Etiam, inquit, salvabuntur. Et non solum ipsi, sed et omnes qui in Ordine nostro obedienter et humiliter fuerint conversati, salvabuntur. Recordatus vero pius Pater cujusdam fratris, quem pro negligentia et duritia cordis sui frequen-

tius corripi oportebat, et ob hoc super eo multum contristabatur, subintulit: Numquid de salute fratris illius certi aliquid nosti? Respondit: nec ipsi deerit misericordia Dei. Qui audito vir Domini vehementer gavisus est, et tanto alacrius cum fratribus suis propter verba labiorum Domini custodiebat vias duras, quanto certius spem mercedis æternæ sinu suo repositam tenebat.

Ibidem, C. XXII. De vocatione Arnulphi, viri nobilis in Flandria, et pœnitentia ipsi a B. Bernardo imposita.... Explicitis itaque negotiis, pro quibus moram fecerat, venit Claram-Vallem, tam submissus humilitate, quam sublimis divitiarum affluentia: multaque eidem Monasterio de suis facultatibus contulit, sed et aliis nonnullis cœnobiis dona etiam largitus est. Sanctus vero Bernardus de conversione ejus multum exhilaratus, talem de eo in conventu fratrum sententiam protulit: De conversione fratris Arnulphi, nec minus admirandus, nec minus glorificandus est Christus, quam de resurrectione Lazari quatriduani, eo videlicet quod in deliciis tantis clausus atque sepultus, velut in tumulo jacebat, et quasi vivens mortuus erat. Huic autem confitenti cum gemitu et lacrymis multis delicta universa, quæ in mundo contraxerat, Beatus Bernardus intuens cordis ejus amarissimam contritionem, et ad omne opus bonum spontaneam voluntatem, injunxit ei, ut Orationem Dominicam tribus vicibus diceret, atque in suo proposito deinceps usque ad mortem perduraret. Quo ille audito, contristatus respondit: Ne, quæso, irrideas famulum tuum, beatissime Pater. In quo te, ait, irrideo? Ait ille: Jejunia septem annorum, vel decem quoque, non sufficerent, mihi etiam humiliato in sacco et cimere: et tu mihi præcipis Orationem Dominicam tertio dicere, et in Ordine perseverare? Et Sanctus ad eum: Ergo ne tu me melius nosti, quid te oporteat facere ut salveris? An tibi forte parum videtur, Ordinem tenere, et in ipso usque ad mortem perseverare? Ille vero respondit: Absit ab anima mea tam iniqua præ-

sumptio: sed propter Deum obsecro, ne mihi parcas in præsenti, ut melius parcas in futuro: et talem nunc impone pœnitentiam, quatenus post mortem carnis ad requiem sine pœna perveniam. Cui Beatus Pater ait: Fac ut locutus sum, et securum te facio, quia deposita mole corporis mox ad Deum sine molestia pervolabis. Hoc itaque responso quasi divinitus accepto confortatus est nimis, adeo ut deinceps nulla tentationum violentia, nulla infirmitatis molestia posset a cursu desiderii sui, quo totus in Deum pergebat, aliquatenus retardari. Erat autem circa observantias Ordinis et custodiam cordis et sollicitus, et timoratus nimis, ita ut neminem vidisse me recolam tam studiosum conscientiæ propriæ mundatorem....

Acta S. Francæ sacc. XIII († 1218), auctore Fr. Bertramo Reoldo (1326) ut referuntur apud Bolland. die 25 Aprilis. C. I, n. 15. Ante septimum annum perfectum, protulit parentibes sæculo se renuntiaro, et in Religione Deo servire totaliter opportere. Quam instanter infestantem nobili Monasterio S. Syri Placentino parentes obtulerunt... Quæ conversans ibidem in habitu puellari, consueto illi Religioni, usque ad ætatis ejus annum quartum decimum, ita gratiose se gerebat, ut cunctis videntibus mirabilis appareret: nam in scientia, moribus, et abstinentia, cæterisque Regularibus observantiis præcellebat omnes. — n. 16. Inquibus omnibus optime comprobata, dum eodem anno, Professione Regulari facta, Velum Sacrum ab Episcopo suscipere deberet, cuidam amitæ suæ de Confanoneriis apparuit Angelus quidam, qui velabat illam; ut daretur intelligi, quod ejus consecratio divinitus fiebat, quæ non solum caput ornabat, sed mentem illius, et corpus a cunctis vitiis abscondebat, ac Dei servitio mancipabat. Quod inde magis apparuit, quia ex tunc, quasi transmutata in virum, affectum sumpsit et animum virilem: ita ut deinceps foret in orationibus pervigilans diebus ac noctibus, vitans et abhorrens cuncta puerilia, lasciva et vana; et sem-

per erat Officiis divinis, vel orationibus aut laboribus sui Conventus et servitiis infirmarum sine cessatione occupata; ad obedientiam prompta semper et parata, et in operibus caritatis nunquam reperta fuit esse fessa. Cunctis hebdomadibus jejunans tribus diebus pane et aqua communibus et Regularibus jejuniis non erat contenta: omni Quadragesimæ sui Monachatus continue jejunabat, ita quod nullam rem coctam comedebat, præter panem cujus panis bricias edebat sæpissime cum herbis vel leguminibus crudis, absque sale cum aqua: frusta panis reservans pauperibus distribuenda, pro quibus fovendis erat pie sollicita. Nam cum in omnes esset illa misericors et blanda, dulcis et benigna, in se tamen crudelis et aspera, præmissam abstinentiæ formam non modo servavit subjecta, sed modo valentius et prælata, excepto quod propter infirmitatem stomachi, qua gravabatur pro nimia abstinentia, præcepto Abbatisæ, hortatuque sociarum, tale fiebat ei remedium, omni recusata frequentia medicorum: Coquebatur quippe Vezzolus, qui et artemisia proprie dicitur, vel illius semen in vino: quod bibebat tunc omni rejecta substantia, et sic ad modicum refocillabatur ipsa. — N. B. Hæc Velaminis ab Angelo impositio, quam hic Fr. Bertramus Reoldus scite interpretatur factis etiam sententiam suam comprobans, narratur etiam in Menologio Cisterciense die 25 Aprilis, et in lectione secunda Breviarii Cisterciensis die 26 Aprilis, ubi Sancta Virgo Francha vocatur. Historia vero ista non tanquam visio in medium adducitur, quum visio ipsa interpretatione indigeat; sed tanquam ejusdem visionis interpretatio qua Religiosæ Professionis efficacia illustratur.

Cæsarius Heisterbacensis Monachus († 1230), Dialogus Miraculorum Distinctione quarta, c. I.... Venientibus ad Ordinem nostrum, etiamsi innumera et gravissima commiserunt peccata, nihil eis aliud injungitur pro satisfactione, nisi ut Ordinem servent. Hinc est quod Sanctus Bernardus,

cum tempore quodam quemdam Regem Francorum in Ordine recepisset, illi solummodo post factam confessionem, Dominicam Orationem injunxit. Quo turbato, putans sibi a Sancto illudi, respondit Abbas Beatus: Tu tantum hanc orationem dicito, et Ordinem custodi, et ego pro peccatis tuis rationem reddam in die judicii.

Idem. Dist. I. c. III: Unde talis ac tanta mutatio? — Ut æstimo principaliter ex Dei misericordia, secundario ex virtute et benedictione sancti vestimenti (Monachali), ut ait quidam Sanctorum Patrum antiquorum (S. Hieron. Ep. 25): Habitus-Monachi virtutem habet Baptismi. Noverunt multi Henricum conversum de Claustro (Hemmenrode), magistrum in grangia, quæ vocatur Hart, qui testatus est Spiritum-Sanctum in specie columbæ super caput cujusdam novitii descendisse cum in Monachum benediceretur ab Abbate.

Idem. Dist. I, c. VI. Canonicus Leodiensis ad prædicationem S. Bernardi.... in oratione audivit: Exi et audi, Evangelium revixit. Qui mox ab oratione surgens exivit et virum Sanctum Crucem contra Saracenos prædicantem invenit: alios quidem signabat, alios ad Ordinem suscipiebat. Qui compunctus et Spiritus-Sancti unctione intus instructus Crucem suscepit, non tamen transmarinæ illius expeditionis, sed Ordinis, salubrius judicans longam crucem imprimere menti, quam brevem zonam ad tempus assuere vesti. Legerat Salvatorem dicentem: Qui non tollit crucem quotidie, et sequitur me, non est me dignus. (Luc. X. 23, Matth. X. 38). Non dixit uno anno, vel duobus, sed quotidie. Multi post peregrinationes deteriores fiunt et pristinis vitiis amplius se involvunt; hi similes sunt canibus revertentibus ad vomitum, et suibus lotis in volutabro luti sui. (II Petr. II, 22). Monachorum vita regulariter viventium tota crux est, eo quod in singulis membris eos obedientia crucifigat. — Novitius. Videris mihi præferre Ordinem peregrinationi. Monachus. Non mea, sed auctoritate Ecclasiæ

præfertur: habet Ordo Cisterciensis a Sede sibi Apostolica indultum, ut Cruce signatus, vel voto cujuslibet alterius perigrinationis obligatus, si transire voluerit ad Ordinem, coram Deo et facie Ecclesiæ sit absolutus. Quod si istæ duæ Cruces, Ordinis videlicet et perigrinationis, æque essent salubres, indifferenter fieret commutatio alterius in alterum. Monachus Ordinem deserens et Crucem suscipiens, vel, quod tolerabilius est, sine præcepto et licentia Ordinis eidem perigrinationi se mancipans, non Christi perigrinus, sed apostata judicatur. Novit Successor Petri, cui specialiter commissæ sunt claves Regni Cœlorum, multo fore salubrius intus semper dimicare contra incentiva vitiorum, quam foris ad tempus adversus acies Saracenorum. Quibusdam converti volentibus Sanctus Bernardus non consensit, sed Cruce signari, ut postea dicetur, præcepit.

Idem, Dict. VIII. c. XVIII. Item de converso de Lucka, qui vidit Christum cum quindecim Religiosis in aëre crucifixum. Cui Christus: Hi soli ex omni congregatione Mecum crucifixi sunt, meæ Passioni vitam suam conformantes. Novitius: In quo se Illi conformaverunt? Mon. Utique in obedientia, in patientia, in humilitate, in abrenuntiatione totius proprietatis propriæque voluntatis. Hæc et his similia Monachos Martyres faciunt, in quorum persona per Psalmistam dicitur: Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sicut oves occisionis (Ps. 43. 22). Non dicit semel, sicut Petrus, sed quotidie, sicut Anthonius (Abbas Antonius, de quo in Vitis Patrum). Sicut didici nuper a prædicto Monacho, omnes illi quindecim adhuc vivunt, excepto uno, qui jam obdormivit in Domino. Nov. Nemo Claustralium visionem hanc ignorare deberet. Mon. Verum dicis; quia multi putant se esse Monachos et non sunt, ore et non vita dicentes cum Apostolo: Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu-Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo (Gal. VI. 14). Nov:

Dic, quæso, quomodo nobis sit intelligendum quod idem Apostolus dicit: Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis? (Gal. V. 24). Mon. Secundum præcedentia videtur sic intelligendum. C. XIX. De crucifixione Religiosorum. Apostolus enumeratis operibus carnis, cum exposuisset fructum spiritus, subjunxit: Qui autem sunt Christi, etc. Duplex est Religiosorum crucifixio, hominis interioris par alienam compassionem, et hominis exterioris per propriam carnis mortificationem. Crux dicitur a cruciatu. Crux Monachorum rigor Ordinis est, tum propter vigilias et orationes, tum propter jejunia et castigationes, tum propter silentium et opera manuum, tum propter carnis continentiam et vestimentorum stratique duritiam. Qui autem sunt Christi, qui cum Apostolo dicere possunt: Christo confixi sumus Cruci (Gal. II, 19): carnem suam crucifixerunt, id est Cruci affixerunt, cum vitiis operum, et concupiscentiis desideriorum pugnantes. Nec ponuntur illi duo genitivi plurales instrumentaliter, sed passive, eo quod per virtutes in carnis maceratione mortificentur. Tres clavi quibus corpus Monachi Cruci debet esse affixum, tres sunt virtutes, per quas teste Hieronymo Martyres efficiuntur, scilicet obedientia, patientia, humilitas. Manum Monachi dextram configat obedientia sine murmuratione; sinistram patientia sine simulatione. Clavum obedientiæ impellat amor supernæ libertatis. Clavum patientiæ, timor pœnæ gehennalis. Pedes illius vera humilitas configat, ut non solum prælatis, sed et fratribus se propter Christum subjiciat, ut dicere possit cum Psalmista: Humiliatus sum usquequaque, Domine (Ps. 118. 107). Et in alio loco: Imposuisti homines super capita nostra (Ps. 65. 12). Duo pedes, duplex est superbia, mentis scilicet et corporis. Et licet superbia caput sit omnium vitiorum, non tamen incongrue per pedes qui infimæ sunt partes corporis, quandoque designatur. Quod enim valde odimus et despicimus, hoc pedibus

conculcamus. Unde Josue filiis Israël, ut colla Regum calcarent præcepit (Jos. X. 24).

Idem, Dist. XI, C. VI. De Oberto converso qui moriens cœlestem audivit harmoniam.... Nocte Beati Stephani quæ proxima est Natali Domini, pulsata est tabula defunctorum pro eo, et surgentes festinanter, advenerunt fratres, orationibus munientes fratris exitum. Jacebat autem ut moris est positus super mattam, extremum trahens spiritum. Dicto letania cum adhuc aliquid spiramenti superesse videretur, incepti sunt septem Psalmi. Inter dicendum, tanquam de levi somno excitatus, revixit, circumferens oculos, et jubente Abbate repositus est in lectum suum, et reversi sumus. Quidam autem rei novitate perculsi, manserunt circa eum, expectantes donec convalesceret spiritus ejus, cupientes audire ab eo quid hoc esset miraculi. Postquam autem sibi redditus est, ita dicere exorsus est: Hic ego quid facio? Certe hic esse nolo. Modo eram inter Angelos, cœlestis harmoniæ suavitate demulcebar, deputatus eram Beato Prothomartyri, gloriæ ipsius consors et collega futurus. Hic ego quid facio? Certe redire volo. Post modicum iterum tabula pulsata, et feliciter obdormiens in Domino, ut credimus non est fraudatus a desiderio suo partem habiturus in sorte Sanctorum. Quod autem præostensa sibi gloria reversus ad horam caruit, in hoc pusillanimitati nostræ consultum esse non ambigimus, videlicet ut minus sollicitos devotos faceret, et proficientes studiis melioribus accenderet (Hæc in Claustro, id est in Hemmenrode, evenerunt).

Item, Dist. XI, c. XII. De morte Gozberti conversi qui reviviscens visa recitavit. Simile miraculum contingit in eadem domo. Cum esset ibidem novitius dominus Hermannus, nunc Abbas Loci Sanctæ Mariæ, sicut ipse mihi retulit, venit ad eum die quadam aliquis de senioribus dicens: Venite mecum, ego faciam vos audire in continenti, quæ libenter audietis. Et duxit eum ad quemdam conversum

Gozbertum nomine, qui mortuus fuerat et revixit. Quem conversi nescio quot sunt secuti, sperantes quod novi aliquid essent audituri. Ad quos ille : Vos domini numeratis annos conversionis vestræ, alius quadraginta, alius vigenti, alius decem. Ego vobis dico, quod beatus est Monachus ille sive conversus, qui bene uno anno, vel mense, vel quod minus est una hebdomada, in Ordine conversatus est. Quibus cum amplius dicere nollet, recesserunt. Ad quem novitius : Rogo vos, bone Frater, ut aliquid mihi referatis quod me ædificet. Respondit ille : Ego cum nuper infimarer, et essem in doloribus maximis, venit ad lectum meum nescio quid. Cumque primo tetigisset pedes meos, gradatim ascendendo, tetigit ventrem meum, ac deinde pectus, nec tamen ex eodem tactu aliquid mali sensi. Tacto vero capite meo, mox expiravi, ductusque sum in locum amœnissimum, et nimis deliciosum, in quo diversi generis arbores, ac multi coloris flores aspexi. Occurrerunt mihi et juvenes speciosissimi, a quibus officiosissime sum salutatus, et ante Dominam nostram Cœli Reginam cum multa alacritate deductus. Posita est mihi sedes secus pedes ejus. In qua cum sederem in multa cordis jocunditate, jussus sum redire ad corpus. De quo cum plurimum dolerem, consolati sunt me dicentes: Ne tristeris, quia sedes hæc tibi reservabitur, et post dies paucos redibis ad eam. Quos cum iturus interrogassem de statu futuro domus nostræ, responderunt: Bonus est status ejus præsens sub Abbate hoc Gisilberto; neque plus ab eis obtinere potui. Circa tertium vero diem rursum expiravit idem Gozbertus.

Menologium Cisterciense (1630), Decimo quarto Kal. Decembris, ex antiquis documentis hæc de S. Bernardo refert : In Clara-Valle beatus Odo, ejusdem Monasterii Supprior, homo vere pauper spiritu, et humilis corde, mira morum suavitate et mansuetudine præditus. Qui postquam strenue, tanquam miles egregius, Domino diu in sacra illa Valle militasset, videns Sanctum Abbatem Bernardum

magis ac magis ad depositionem vitæ corruptibilis approximare, cœpit Deum instanter orare, ut vitæ suæ finem imponeret; ne tanti Patris mortem cogeretur videre. Quod et obtinuit. Nam gravi corporis infirmitate tactus, ad extrema devenit. Ad quem visitandum cum mellifluus Abbas Bernardus ingrederetur, et videret eum pavore percussum, quasi minus perfecte vixisset, et ob hoc ancipitem adhuc sententiam Judicis expectaret, pleno spiritu Dei, dixit illi: Quid trepidas? quid turbaris anima beata? a diebus adolescentiæ tuæ devotum Christo famulatum in multis et magnis laboribus exhibuisti, et exire formidas? Perge, perge securus: ego tibi in veritate dico, quod recto cursu ad Creatorem tuum pervenies. et sanctus coram Ipso ap. parebis. Qua voce quasi cœlesti oraculo confortatus, placido vultu hominem exuit, et ad cœlestem Patriam evolavit. Cujus pedes, reverenter accedens pius Pater Bernardus devote osculatus est, et honorifice sepelivit.

Anno Christi 1272. Religionis Minorum anno 65. — (Annales Minorum, auctore R. P. F. Luca Waddingo, Hiberno, ejusdem Ordinis. Edit. 2ª Tomo IV (Romæ MDCCXXXII) p. 357, nº XII — Edit. 1ª Tomo II (Lugduni MDCXXVII) p. 360 nº XII.) — Christophorus ex Romandiola: Vitam omnem quantumvis in pietatis consumeret operibus, nihilominus, juxta divinum consilium, de propitiatu peccatorum noluit esse sine metu, timens valde ne peccata in sæculo commissa in vitæ exitu sibi objicerentur. Injunxit itaque angelico juveni Petro, cujus ex Confessarii auctoritate perspectam bene habebat conscientiæ puritatem, et cum Angelo suo custode familiaritatem, ut dum ei appareret, rogaret, quatenus apud Deum intercederet pro suorum remissione peccatorum, vel statum animæ suæ misericorditer indicaret. Fecit ita adolescens, cui ab Angelo responsum: *Amodo non timeat de præteritis, sed persevereret in bonis, et sollicitus sit de futuris.* — In Martyrologio Franciscanorum, auctore R. P. Arturo a Monasterio, Recol-

lecto (Parisiis 1653), 31 Octobris, legitur in majori textu: Cathurci, beati Christophori, Confessoris, Seraphici Patris Sancti Francisci socii, columbinæ simplicitatis viri: qui ad partes Aquitanicas missus, sanctitate vitæ Galliam illustravit, centenariusque obiit, miraculis in vita et post mortem celeberrimus. — Ibidem legitur in textu minori, breviter quidem, inter alia responsum ab Angelo. Deinde indicantur: S. Antoninus, 3 part. histor. tit. 24 cap. 7, § 1 et 13 — Marcus Ulyssiponensis, 1 part. chronic. minor. l. 2, c. 71 et l. 6 c. 48-55 — Bernardus de Bessa, in vita ejus — Waddingus T. 1 annal. min. ad ann. 1216 § 2; 1219 § 32; 1220 § 69; — T. 2, ann. 1272 § 11 et 12 (idem quod supra). — Platus, l. 1 de bono status religiosi cap. 13 (datur infra in part. 3). Hucusque Martyrologium. Infra idem factum indicatur a doctissimo Heriberto Rosweydo in notis ad Vitas Patrum.

D. Thomas († 1274), 4, dist. 4, q. 3, a. 3, q. 3, ad 3. (Præterea alia multa sunt genera supererogationum, sicut virginitas, cui etiam debetur aureola; et doctrina, et hujusmodi. Sed hæc non supplent locum Baptismi. Ergo nec Martyrium, ut videtur). — Ad tertium dicendum quod in aliis supererogationis vel perfectionis operibus vel statibus, non est ita expressa conformitas ad Passionem Christi sicut in Baptismo sanguinis, neque etiam in Baptismo pœnitentiæ: et ideo non oportet quod in eis omnis pœna dimittatur. Tamen in Vitis Patrum dicitur, quod quidam Patrum vidit eamdem gratiam descendentem super eum qui Habitum Religionis assumit, et super eum qui baptizatur. Sed hoc non est quia talis a satisfactione absolvatur, sed quia eo ipso quod suam voluntatem etiam in servitutem redigit propter Deum, plenarie jam pro omni peccato satisfecit, quam, scilicet voluntatem, cariorem habet omnibus rebus mundi, de quibus tantum posset dare quod eleemosynis omnia peccata redimeret, etiam quantum ad pœnam.

D. Thomas, 4, Dist. 16, L. m^io „Ponat se omnino in judi-

cio..." Ergo videtur quod si Sacerdos injungat alicui quod intret Religionem, teneatur facere et præcipue quia quidam canones videntur istam pœnitentiam taxare; et similiter quod quantamcumque magnam pœnitentiam pro parvo peccato injungat, pœnitens facere teneatur.

Et dicendum quod intelligendum est de his quæ Sacerdos, in quantum habet clavem scientiæ et auctoritatis per divinum judicium, et non secundum humanum errorem, injungit. Introïtus autem in Religionem cum sit voluntatis, non potest alicui injungi; et si aliqui canones injungere inveniantur, magis est consilium quam præceptum: qualibet enim pœnitentia taxata, levissima Religio est major satisfactio, in quantum homo abdicat propriam voluntatem, qua nihil homini est carius.

Idem, Quodlibet III. q. V, art. XIII. Utrum qui in sæculo sunt peccatores, sint ad Religionem attrahendi. Respondeo dicendum quod maxime utile est peccatoribus ut ad Religionem transeant. Peccatoribus enim duo sunt necessaria ad salutem; primo quidem ut de peccatis præteritis pœnitentiam agant, secundo ut de cetero a peccatis abstineant. Ad utrumque autem horum maxime operatur Religio. Primo enim Status Religionis est Status perfectæ pœnitentiæ; et nulla satisfactio adæquari potest pœnitentiæ Religiosorum, qui et se et sua totaliter Deo dant; unde pro nullo peccato imponi potest homini pro pœnitentia ut Religionem introeat; et in commutationem satisfactionis quantumcumque gravis, consulitur tantum Religionis ingressus, ut patet 33 quæst. 2. cap. Admonere; ubi Stephanus Papa quemdam qui uxorem interfecerat, inducit ut ingrediatur Monasterium, et humiliatus sub manu Abbatis cuncta observet quæ sibi fuerint imperata; alioquin injungit ei gravissimam pœnitentiam, si eligit in sæculo manere. Similiter etiam ad vitanda peccata plurimum valet Religionis Status, etc.

Idem, 2. 2. q. 189 art. 3 ad 3. (3. Præterea, per votum

minus utile non potest derogari voto magis utili. Sed per impletionem voti Religionis impediri posset impletio voti Crucis in subsidium Terræ Sanctæ; quod videtur esse utilius, quia per hoc votum consequitur homo remissionem peccatorum. Ergo videtur quod votum quo quis se obligavit ad Religionis ingressum, non sit ex necessitate implendum). Ad tertium dicendum, quod votum Religionis, cum sit perpetuum, est majus quam votum peregrinationis Terræ Sanctæ, quod est temporale: et sicut Alexander III dicit, et habetur extrav. De voto et voti redemptione cap. Scripturæ, reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur Religionis observantiam commutare. Rationabiliter autem dici potest quod etiam per ingressum Religionis aliquis consequatur remissionem omnium peccatorum. Si enim aliquibus eleomosynis factis, homo potest statim satisfacere de peccatis suis, secundum illud Daniel IV, 24: Peccata tua eleomosynis redime, multo magis in satisfactionem pro omnibus peccatis sufficit quod aliquis se totaliter divinis obsequiis mancipet per Religionis ingressum, quæ præcedit omne genus satisfactionis, etiam publicæ pœnitentiæ, ut habetur in Decret. 33 qu. 1, cap. Admonere, col. 1512, sicut etiam holocaustum excedit sacrificium, ut Gregorius dicit super Ezechiel, hom. VIII, l. II, § 16 col. 1037 t. 2. Unde legitur in Vitis Patrum, lib. VI, libello I § 9 col. 994 t. 1. quod eamdem gratiam consequuntur Religionem intrantes quam consequuntur baptizati. Si tamen non absolverentur per hoc ab omni reatu pœnæ, nihilominus ingressus Religionis utilior est quam peregrinatio Terræ Sanctæ, quantum ad promotionem in bonum, qua præponderat absolutioni a pœna.

Idem, 2. 2æ q. 124 art. 4. Utrum mors sit de ratione Martyrii. Ad quartum sic proceditur: 1. Videtur quod mors non sit de ratione Martyrii. Dicit enim Hieronymus (vel alius hujus operis auctor) in Sermone de Assumpt., t. 11: Recte dixerim quod Dei Genitrix Virgo et Martyr fuit, quamvis in

pace vitam finiverit; et Grogorius dicit Homil. III in Evang. § 4. col. 1089, t. 2: Quamvis occasio persecutionis desit, habet tamen et pax nostra suum Martyrium, quia etsi carnis colla ferro non subdimus spirituali tamen gladio carnalia desideria in mente trucidamus. Ergo absque passione mortis potest esse Martyrium... Respondeo dicendum quod, sicut dictum est, Martyr dicitur quasi testis Fidei Christianæ, per quam nobis visibilia pro invisibilibus contemnenda proponuntur, ut dicitur ad Hebr. XI. Ad Martyrium ergo pertinet ut homo testificetur Fidem, se opere ostendens cuncta præsentia contemnere, ut ad futura et invisibilia bona perveniat. Quamdiu autem homini remanet vita corporalis, nondum se opere ostendit corporalia cuncta despicere. Consueverunt enim homines et consanguineos et omnia bona possessa contemnere, et etiam dolores corporis pati, ut vitam conservent. Unde et Satan contra Job induxit, Job. II, 4: Pellem pro pelle, et cuncta quæ homo habet, dabit pro anima sua, id est pro vita sua corporali. Et ideo ad perfectam rationem Martyrii requiritur quod aliquis mortem sustineat propter Christum. — Ad primum ergo dicendum, quod illæ auctoritates, et si quæ similes inveniuntur, loquuntur de Martyrio per quamdam similitudinem.

Ex hoc D. Thomæ testimonio constat SS. PP. per quamdam similitudinem Martyrii nomen tribuere etiam his qui mortem non sunt passi.

D. Thomas, Opusculo de Perfectione vitæ spiritualis, c. XI, Holocaustum inter et Religionis Professionem comparationem instituit. (Integre refertur in parte IV, Sect. IV, B, c. II, n. 10.)

S. Mechtildis, in Monasterio Helftensi Cantrix († 1298). Liber specialis gratiæ, P. IV, c. XVII, Qualiter Christus Profitentes in suos suscipit amplexus. — In die autem Professionis earum, cum iterum pro eisdem orasset, dixit ei Dominus: Orare Me debent ut dem ipsis oculos intelli-

gentiæ, quibus Me et omnia illis salutaria videant, et vere agnoscant; aures obedientiæ, ad omne imperium et Prælati sui voluntatem paratas; os quoque sapientiæ, quo laudem meam semper proferre, et quæ proximis congruunt, docere et loqui sciant. Postulent etiam cor amans sibi dari, quo Me et omnia in Me et propter Me pure diligant; manus autem bonæ operationis, ut omnia quæ agunt, intente faciant et studiose.

Cum vero Litania pro ipsis fieret, vidit Beatam Virginem et deinde singulos Sanctos, qui ibi nominabantur, flexis cum reverentia genibus pro ipsis Dominum exorare. Et dum Professionem facerent, Dominus Jesus eas in amplexus amantissime suscipit, *porrigens singulis Dexteram suam in adjutorio voti sui et protectionem a malis.* Accedentibus etiam ad communionem dulcissimum osculum singulis infixit, in quo unum cum Ipso felici unione sunt effectæ. (*N. B.* Quæ omnia clare excludunt debitum pœnæ solvendum).

Ibidem, c. XVIII. De amplexu Domini. — Compatiens quandoque cuidam personæ, quæ in causa quadam non plene consentiebat voluntati Magistratus sui, orabat Dominum, quatenus mentem ejusdem personæ gratia sua dignaretur illuminare, et ad obedientiam inclinare. Et ecce vidit Dominum Jesum stantem, et ipsam pro qua orabat personam Dextero Brachio circumplectentem, ac dicentem: Ex hora illa *qua voluntatem propriam in manus Prælatorum suorum Mihi consignavit, Ego eam in amplexum suscepi, nec unquam Dexteram meam relaxabo ut eam dimittam, nisi forte ipsa sponte sua retrorsum se subtrahat Mihi;* et hoc si fecerit, de cœtero non poterit in priorem locum redire, nisi se inclinet. Ex quibus verbis illa intellexit quod Deus in die Professionis cujuslibet Religiosi, *ipsum in Paternum suscipit amplexum, a quo nunquam eum dimittit, donec homo, quod absit, voluntaria deliberatione obedientiæ contradicat.* Tunc quasi subtrahit se Dexteræ

Dei; cui non poterit de cœtero implicari, donec per veram pœnitentiam ac dignam satisfactionem se humiliter Deo posternat, votum deinceps libenter obediendi pollicendo.

Ibidem, P. II, c. XVIII: *Quod Deus animam suis Virtutibus decoravit.* — Quadem die, dum cantaretur Psalmus *Laudate Dominum de cœlis,* in verbo illo: et *aquæ quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini* (Ps. 148. 4) dixit ad Dominum: O Domine, quæ sunt aquæ illæ de quibus hoc canitur? quia scio Te ab omnibus guttis aquarum, in Teipso speciali modo laudari? Cui Dominus: Omnium lacrymæ Sanctorum, quas unquam ex amore sive devotione, sive compassione, sive contritione effuderunt.... Post hæc Domino conquesta est quod *diem desponsationis suæ tam devote non celebrasset, nec tanta fidelitate Sibi adhæsisset ut sponsam Sponso unico decuisset.* Tunc induit eam Dominus veste Virtutum suarum perfectissimarum, imponens capiti ejus diadema aureum; strinxit eam amplexibus intimæ Charitatis, et Brachio nudo circumdedit eam. Cum vero anima miraretur cur ita faceret, dixit illi Dominus: *Quia inter Me et te nulla est omnino obscuritas, et omnium Mysteriorum meorum te nihil celabo.* Vidit etiam millia millium Angelorum cum reverentia stantium ante Regem suum; et ait Dominus ad animam: Ecce hos omnes tibi do ut tibi famulentur. At illa desiderabat ut omne ministerium quod sibi impenderent, ad laudem et gloriam exhiberent sui unici Amatoris. Statim ergo vidit de singulis Angelorum cordibus tubas procedere ad Cor Dei, et ita dulcem canticum personare, ut nullus valeat enarrare. Post hæc Cor Dei aperiebat Se, et Ipse intraxit eam, concludens eam in Seipso... Tunc anima: O Amantissime, quam ferventi desiderio nunc cor meum Tibi offerre cupio! Qui statim accipiens cor ejus in Manus suas, odoratus est ad illud tanquam ad rosam suaviter redolentem. Cui anima: Quid fragras in eo in quo nihil est boni?

Et Dominus: Cum Ego sum in anima tua, Meipsius Suavitas redolet in te.

Ibidem. P. III, c. XXIX, De septem horis canonicis. — Ancilla Christi cum aliquando audiret prædicare de nuptiis, dixit ad Dominum: Eia, dulcissime mi Sponse, quam infidelis sponsa Tibi omnibus diebus exstiti; quia sponsalem amorem Tibi, vero Sponso meo, prout debui nunquam exhibui. Cui Dominus statim cum ineffabili gloria et deliciis apparuit, dicens: Contingere quandoque assolet, cum sponsi properant in regionem longinquam, ut in reditu sponsæ *nuptias renovent. Sic et Me facere oportet,* quia amanti animæ una hora elongari a Me gravior apparet, quam terrenæ sponsæ post amatorem suum mille anni. Apposuitque Cor suum divinum ad cor animæ, dicens ei: Nunc Cor meum tuum est, et cor tuum meum est. *Dulcissimoque amplexu et tota virtute sua divina sic animam illam Sibi intraxit, ut unus cum Eo spiritus effici videretur.* (Sequitur canonicarum horarum distributio juxta Dominicæ Passionis partes tempore correspondentes).

Ipsam etiam alia vice desponsationis renovandæ modum edocuit Dominus, ut infra hic referetur in Appendice Quæst. III, B in fine.

S. Gertrudis Magna, Monasterii Helftensis Religiosa († 1302). Legatus divinæ pietatis. L. IV, c. XXVII. De Resurrectione Domini —... Post hoc, iterum fervore amoris impellente, ista se exhibuit Domino dicens: Ecce, Amator unice, ego indignissima Tibi Regi regum Domino cum affectu adsto, *præbens Tibi totam substantiam corporis et animæ,* ad ministrandum Tibi quoad vixero pro gloria tuæ colendæ Resurrectionis. Ad quod Dominus respondit: Et Ego hoc munere tuæ bonæ voluntatis utar quasi pro regio sceptro divinæ Magnificentiæ meæ, et in conspectu Sanctæ Trinitatis omniumque Sanctorum in perpetuum gloriabor pro hoc a te dilecta Mihi donato. Ad quod illa: Licet, Domine mi, Te donante hanc voluntatem Tibi voverim,

vereor tamen quod ex humana instabilitate eamdem cito tradam oblivioni. Cui Dominus: Et quid ob hoc, cum Ego semel Mihi oblatum sceptrum meum nunquam de Manu mea dimittam; sed in repræsentationem et memoriam tuæ dilectionis erga Me jugiter reservabo? *Et quotiescumque tu Mihi hanc intentionem renovaveris, toties idem sceptrum amœnissimis floribus in Manu mea efflorebit, ac gemmis exornabitur pretiosis.*

Ibidem, c. XXIX. Feria tertia. — De Renovatione spiritualis Matrimonii. — Feria quoque tertia Paschæ, dum iterum communicatura desideraret a Domino, ut per idem Sacramentum vivificum *renovare dignaretur in anima ejus Matrimonium spirituale quo Ipsi in spiritu esset desponsata per Fidem et Religionem,* necnon per virginalis pudicitiæ intergritatem; Dominus blanda serenitate respondit: Hoc, inquiens, indubitanter faciam. Sicque dignantissime acclinatur ad eam, blandissime eam ad Se strinxit et osculum perdulce animæ ejus infixit; *per osculum renovans in ea interiorem spiritus exercitationem, per amplexum autem imprimere videbatur pectori ejus monile* quoddam splendidissimum, gemmis pretiosis miraque vermiculatione exornatum. *Per quod reformavit in ea quidquid neglexerat in exercitiis spiritualibus quibus potuisset insudasse.*

Quid mirum si Professionis innovatio tam frequens tamque ardens fuit in moribus S. Gertrudis, ut dicetur infra in Appendice, Quæst. III, B. 1, et in fine.

PARS PRIMA.

Antiqua documenta usque ad Wicleffum n. 1324 — m. 2 dec. 1387.

SECTIO SECUNDA.

Ritus Monastici.

DE ritibus et cæremoniis, verba Concilii Tridentini de Missæ Sacrificio, Sess. 25, c. 5. imprimis perpendenda sunt: „Cum natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli: propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam .... instituit, cæremonias item adhibuit.... ex apostolica disciplina et traditione, quo et majestas tanti Sacrificii commendaretur, et mentes fidelium, per hæc visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur."

Hæc Tridentinæ Synodi Patrum doctrina vera est etiam, servata proportione, generatim de quarumcumque Sacrarum Actionum, et speciatim de Religiosæ Professionis ritibus et cæremoniis. Etenim cæremoniæ istæ, tum antiquitate, tum significatione maxime venerabiles, ad Professioni reverentiam conciliandam egregie conferunt: fidem et pietatem antiquorum qui illas statuerunt, pia matre Ecclesia tacite vel etiam quandoque expresse comprobante, ad vivum exprimunt; fidelium instructioni, quorum intelligentiam memoriamque juvant, et quorum devotionem externis et sensibilibus rebus excitant et fovent, felicissime inserviunt. Unde in illis, sive dictis, sive factis, antiquorum de natura et effectibus Religiosæ Professionis mens luce meridiana omnium oculis apertius clarescit. Et ideo per

verba in forma tum deprecativa tum positiva prolata, ut et per ea quæ geruntur, virtus satisfactoria Religiosæ Professionis aperte enuntiatur et representatur. Ut autem res gestæ intelligantur, memoria recolere juvabit quæ jam a Leontio, Ruperto et S. Bernardo sunt exposita: mors et resurrectio Christi, quocum baptizati peccato moriuntur et vitæ gratiæ resurgunt, nunc per Profitentis prostrationem et surrectionem, nunc per trium dierum silentium, nunc per albæ vestis imitationem, quam neobaptizati solemniter accipiebant et post tres vel septem aut etiam octo dies deponebant, in memoriam revocantur ut sic profiteatur Religiosæ Professionis cum Baptismi Sacramento similitudo; plena etiam pœnæ peccatis debitæ satisfactio quandoque per coronam statim cum Benedictione Profitentis capiti impositam indicatur.

Theodori († 690) sanctissimi et doctissimi Archiepiscopi Cantuariensis, Pœnitentiale, c. III. De Ordinatione diversorum: In Monachi vero Ordinatione Abbas debet Missam agere, et tres orationes super caput ejus complere: et septem dies velet caput suum cuculla sua. et septima die Abbas tollat velamen suum. Sicut in Baptismo presbyter solet infantibus auferre, ita et Abbas debet Monacho, quia secundum Baptisma est, juxta judicium Patrum, in quo omnia peccata dimittuntur.

Conventus Aquisgranensis (817). Abbatum Franciæ cum Monachis suis. in quo ad Regularium Institutionem communi consensu edita sunt capitula LXXX. Cap. XXXV: Ut Monachus, Professione facta. tribus diebus cuculla coopertum habeat caput.

Hildemarus († 843), in Com. Reg. S. Benedicti c. 58:.. legit petitionem, subscribit, ponit super altare, dicit v. Suscipe me Domine ... (ter), prosternit se per Psalmos quinque, surgent omnes atque novitius, Abbas induit caput novitii cum melota:... In die tertio debet auferre et communicare, et sic Abbas debet caput novitii discooperire ante

altare. Quod de cooperiendo tribus diebus novitii capite hic legitur, statutum exstat in Consilio Aquisgranensi can. 35. Post annum probationis vota emittit. Antequam promittat, sive post vestietur in oratorio, nihil obstat, tantum ut caput ejus post promissionem ejus veletur, et in die septimo (vel octavo) debet develari, quia vice Baptismi est melota. Deinde debet venire ante altare .... per Psalmos prostratus jacet in terra.

Boherius. († post 1350) etiam velat per tres dies caput profitentis.

De antiquis Monachorum ritibus, auctore D. Edmundo Martene (Lugduni 1690), Tom. II, lib. V, c. IV. Ex antiquo Cassinensi Ordinario: post Professionem, benedictio vestium „ ita benedicere digneris ut hi famuli tui qui hoc usi fuerint. Te induere mereantur, qui vivis...." „ Exuat te Dominus Jesus Christus veterem hominem cum actibus suis, (induendo) et induat te novum qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus qui creavit". Deinde tribus diebus silentium teneant...; tertio vero die ad Missam cum ad pacem venerint, tollat Abbas caputia de capitibus eorum.

Ex M. S. Codici S. Benigni Divionensis n. 280... Cum induti fuerint fratres, accipiant pacem ab omnibus, nec tollantur caputia de capitibus usque in diem tertium. Istis tribus diebus tenentur silentium tenere, et induti tacere.... In die vero tertia debet Abbas Missam cantare, et dum dicitur „ Pax Domini..." tollantur caputia de capitibus, et sic communicent.

Ex M. S. Rituali Corbiensis Monasterii, 39: Vos debetis Professionem vestram cum magna devotione recipere, et debetis vos confiteri de peccatis vestris, et recipere Eucharistiam per tres dies continuos, et per tres dies supradictos in omni loco tenere silentium, et jacere induti die ac nocte.

Ex M. S. Rituali Beccensi :... tenentes caputia in capite... In tertio die pacem accipiunt; deponantur caputia de capite

a Sacerdote ad majorem Missam, vel ab Abbate ad privatam Missam....

Hæc omnia in opere prælaudato D. Edmundi Martene. Quæ vero in initio sunt tradita habentur in commentaria ejusdem auctoris in Regulam S. P. N. Benedicti, cap. 58.

Hæftenus D. Benedictus, libro IV Disquisitionum Monasticarum, Tract. VIII, Disq. 1, De ritibus Professionis (1644), n. VI...: Hujus vero vestimentorum mutationis, osculi pacis, sacræque communionis meminit Areopagita Dionysius (de hierarchia ecclesiastica, parte 3, c. VI), explicatque in hunc modum : Prioris, inquit, vestis positio, alteriusque assumptio, migrationem illam a media vita (laïcorum) ad perfectiorem significat (1). Quod tam Sacerdos quam circumstantes reliqui viri sancti, sic dicatum consalutant : sacram intellige Dei præferentium speciem, societatem, qua sibi invicem cum lætitia et charitate gratulantur. Hæc ille. Optime quoque Corpus Christi illi traditur, qui corpus suum, et sua omnia Christo æternum tradidit.

N. VII. Hanc denique adjungunt Casinenses cæremoniam,

(1) Alardus Gazæus ad librum 4, c. 5, Institutionum Cassiani sic idem notat : Sic D. Benedictus ubi supra « Suscipiendus frater in oratorio exuatur rebus propriis, quibus vestitus est, et induatur rebus Monasterii (cap. 58 Regulæ). » Quam quidem mutationem vestium inter alios Monasticæ Professionis ritus ab Apostolis traditos et institutos recenset B. Dionysius Areopagita Eccles. Hierarch. cap. 6, ejusque rationem reddit his verbis : « Prioris vestis depositio, alteriusque assumptio migrationem illam a media vita (hoc est, a communi vita sæcularium) ad perfectionem significat : sicut in divina regeneratione (id est, Baptismo) promotionem indicat a purgata vita ad contemplantem, illuminantemque habitum, candentis vestis immutatio » Cui rationi insistit D. Hieronymus dum Paulinum Monachum instruens (Epist. 13) dicit : « Denique et tu, audita sententia Salvatoris : Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, et da pauperibus, et veni sequere Me : verba vertis in opera, et nudam Crucem nudus sequens, expeditior et levior scandis scalam Jacob. *Tunicam mutas cum animo*.... » quasi dicat, parum est tunicam mutare, nisi simul et animum mutes in melius. Et Epist. 4 ad Rusticum Monachum, perstringit quosdam Monachos, « qui postquam renuntiavere sæculo, *vestimentis dumtaxat*, et *vocis Professione*, *non rebus*, nihil de pristina conversatione mutarunt. » (Ad quem S. Hieronymi locum notat Henricus Gravius : Cypriano locutio frequens, Epist. 11, ad Cornelium, et in lib. de Lapsis : Qui sæculo renuntiavimus, et divitias ejus et pompas fide gratiæ spiritualis abjecimus).

ut novitius jaceat prostratus super pallium nigrum ante altare, facie manibusque „cum pedibus de cuculla cooperti, positis duobus cereis, uno ad caput, et altero ad pedes, in signum quod vivat mortuus, et moriatur vivens. Completa vero communione, Sacerdos sive Diaconus vertens se ad ipsum mediocri voce dicat: Surge qui dormis, et exurge a mortuis, illuminabit te Christus. Tunc ipse frater surgat ad communionem, demum Pater benedicat ei dicens: Benedictio Dei omnipotentis, etc....." Postea assignetur ei locus in ultimo Professorum gradu. De hoc autem ritu alii mentionem nullam faciunt: Lanfrancus tamen, Boërius, vetus Rituale Affligense et Vallisoletani aliam addunt post deosculationem fratrum cæremoniam. Magister enim novitiorum, sive (ut Vallesoletani habent) vestiarius, acu et filo novitii caputium sub mento consuit, non dissolvendum nisi in Missa diei tertiæ post Professionem. Toto autem illo triduo nulli debet loqui, choro quidem adesse, sed nihil vocaliter recitare, nec in ordine suo stat, sed sequestratus a reliquis, postremus est in congregatione. Tertio autem die Cantor repræsentet novitium Præsidi chori, qui cultro abscindit fila, quibus connexum caputium, statimque sacra reficitur Eucharistia, prout etiam duobus diebus præcedentibus. Hujus autem rei mysterium exponit Rupertus Tuitiensis (Cfr. supra, Sectionem primam).

Monachorum Cisterciensium Ordo Professionis: Monachus sui ipsius oblationem integram fecisse profitetur: „Suscipe me, Domine.... Dum cantatur Psal. 50, redit ad infimum gradum et prosternit se in terram. Et tunc hæc inter alia orat Abbas: Deus qui per coæternum Tibi Filium cuncta creasti, quique mundum peccatis inveteratum per mysterium Incarnationis Ejus renovare dignatus es: Te suppliciter exoramus, ut ejusdem Domini nostri gratia super hunc famulum abrenuntiationem sæculi Profitentem clementer respicere dignetur: per quam in spiritu suæ mentis renovatus, veterem hominem cum suis actibus

exuat, et novum, qui secundum Deum creatus est, induere mereatur. Per eumdem Dominum, etc. Domine.... qui peccatores vocare dignatus es dicens „ Venite ad Me omnes qui laboratis et onerati estis, et Ego vos reficiam " præsta, ut hæc vox invitationis tuæ ita in eo convalescat, quatenus peccatorum onera deponens, et quam dulcis es gustans, tua refectione sustentari mereatur: .... Sancte Spiritus .... eum a vanitate sæculi veraciter converte: et, sicut es omnium peccatorum remissio, deprimentes impietatis obligationes in eo dissolve....

Quando induitur Monastico Habitu: Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.

Forma Professionis, ad mentem Regulæ S. P. N. Benedicti, hæc est: Ego Frater N.... promitto Stabilitatem meam, conversionem morum meorum, et Obedientiam secundum Regulam Sancti Benedicti Abbatis.... In ipsa clare exprimuntur 1° depositio morum sæcularium „ conversionem morum meorum," 2° assumptio vitæ novæ, adquam S. P. N. Benedictus in Prologo invitat dicens „ Ausculta, o fili, præcepta Magistri .... ut ad eum per obedientiæ laborem redeas, a quo per inobedientiæ desidiam recesseras. Ad te ergo nunc meus sermo dirigitur, quisquis abrenuntians propriis voluntatibus, Domino Christo vero Regi militaturus, obedientiæ fortissima atque præclara arma assumis..." „et Obedientiam secundum Regulam Sancti Benedicti Abbatis," 3° et perennitas hujus vitæ novæ, ad instar Christi Domini resurgentis sed jam non morituri, „ promitto Stabilitatem meam." Profitens ergo cum Christo peccato moritur, ad novitatem vitæ jam non moriturus surgit. Fitque sic quasi nova creatio, nihil de vetustate hominis peccati retinens.

Rituale Benedictinarum Leodiensium. (De Reformatione Duacensi 1605, de Werquignœul ex Flines) cui titulus: Liber cæremoniarum Vestionis et Professionis bene obser-

vandarum a Monialibus reformatis Ordinis Sanctissimi Patris nostri Benedicti prope Leodium sub Avroto residentibus. (M. S.)..... Post lectam Professionem (p. 32, b.), Oremus: Sancte Spiritus..... eam a vanitatibus sæculi veraciter converte, et sicut es omnium peccatorum remissio, ita deprimentis impietatis, obligationes in ea dissolve... Cuculla datur: Accipe Habitum sanctæ Monachalis Religionis in signum pœnitentiæ et mortalitatis, ut mortua mundo Deo vivas.... Oremus.... et concede illi ut in hoc sancto proposito devote persistat, et remissione omnium peccatorum percepta, ad electorum tuorum consortium pervenire valeat. — Velum datur: Accipe, virgo, velamen sacrum quod perferas sine macula ante tribunal æterni Judicis,.... quo cognoscaris mundum contempsisse, et te Jesu Christo veraciter humiliterque toto cordis annisu sponsam perpetualiter subdidisse, Qui te ab omni adversitate defendat, et ad vitam perducat æternam.

Demum vertens se ad altare devote se prosternit et alio panno nigro a ministris cooperitur, habeatque candelam accensam ad caput, et aliam ad pedes: Psalmo vero finito, surgit Abbas et stans ad caput virginis professæ, ibi accipiens aspersorium cum aqua benedicta cantat: Kyrie eleison.... Pater noster.... Et circuiens (cum mitra et pedo) aspergit aqua benedicta, et incensat, ut in exequiis mortuorum fieri solet.

Deinde Abbas rediens ad caput cantat (versiculos plurimos).... Oremus: Domine Jesu Christe.... (p. 38 b.) et Qui peccatores vocare dignatus es dicens: Venite ad Me omnes qui laboratis et onerati estis, et Ego reficiam vos: Præsta ut hæc vox invitationis tuæ ita in ea convalescat quatenus onera peccatorum deponens, et quam dulcis es gustans tua refectione sustentari mereatur, ut sicut attestari de ovibus tuis dignatus es, agnoscas eam inter oves tuas, et ipsa Te agnoscat. Deinde (invocatis B. M. V. et S. Benedicto in duabus orationibus) Abbas cantat: Exurge quæ dormis...

Chorus resumit: Exurge a mortuis et illuminabit te Christus. Deinde professa se erigit, et statim vocat eam Abbas dicens: Veni sponsa Christi. Chorus prosequitur: Accipe coronam quam tibi Dominus præparavit in æternum. Et statim professa accedit ad Abbatem, ubi genuflectit, tum Abbas capiti ejus coronam imponit et eam benedicit dicens: Benedictio Dei omnipotentis Patris † et Filii † et Spiritus † Sancti descendat super te, et maneat tecum semper. R. Amen.

In operibus S. Francisci Salesii, Vives 1866 Tom. XI in nota ad Litteras nº 189: Dans la cérémonie de la Profession des Dames de la Visitation, la nouvelle professe étant debout, le célébrant lui dit: „Ma sœur, vous êtes morte au monde et à vous-même, pour ne vivre plus qu'à Dieu." Les sœurs en latin et en chantant „Beati mortui qui in Domino moriuntur." Apoc. 24. 13. Ensuite la nouvelle professe se couche tout de son long, et on étend sur elle le drap mortuaire. Cependant une sœur lit une leçon tirée du livre de Job, qui est de l'Office des morts. Après la lecture on récite à deux chœurs le Psaume „De profundis", le célébrant dit une oraison du même Office, jette de l'eau bénite et ajoute: „Surge, qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christi" Ephes. 5. 14. La nouvelle professe se relève, et le célébrant lui dit en lui présentant un cierge: „Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem" Prov. 4. 18. La nouvelle professe chante alors le commencement du Psaume: „Dominus illuminatio mea et salus mea: quem timebo? Dominus protector vitæ meæ: a quo trepidabo?" Ps. 26. Le célébrant dit: „Dominus vobiscum" et une Oraison, après laquelle il présente le Crucifix à la nouvelle professe, en lui disant: „Mortui estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum Ipso in gloria." Colos. 3, 3 et 4. Qu'il ne vous arrive jamais

„ gloriari nisi in Cruce Domini Nostri Jesu Christi. " Galat. 6, 14. C'est de cette cérémonie que veut parler le Saint dans cette lettre en disant :

Or sus, ma très chère Fille, en fin vous voyla donq sur l'autel sacré en esprit, affin d'y estre sacrifiée et immolée, ains consumée en holocauste devant la face du Dieu vivant. O que cette journée soit comptée entre les journées que le Seigneur a faites (Ps, 117, 24) ! Que cette heure soit une heure entre les heures que Dieu a bénites de toute éternité, et qu'il a assignée pour l'honneur de toute l'éternité ! Que cette heure soit fondée en la sainte humilité de sa croix, et aboutisse à la tres sacrée immortalité de la gloire !..... Que je suis consolé, quand je m'imagine, que selon mon espérance on vous annoncera en toute vérité cette parole de la mort vitale : „ Vous êtes morte, et votre vie est cachée avec Jésus-Christ en Dieu ! " car, ma tres chère Fille, de la vérité de ce mot dépend la vérité de l'évènement qu'on prononce consécutivement : „ Mais quand Jésus-Christ apparaîtra ", et ce qui s'ensuit....

Eidem ritui alludit, Religiosæ scribens in anniversario Professionis, eodem Tomo XI, Litteras nº 283 : „ Ouy da, ma bonne et chère Fille, bénissons Dieu ensemblement de cette heureuse journée en laquelle, par un feu tout nouveau, vous renouvellastes l'holocauste de vostre cœur, offert et voué pieça à la divine Majesté ; et que ce jour donq soit compté entre les jours mémorables de nostre vie. O qu'il tienne le second rang apres celui de nostre Baptême ! Jour de renouvellement de notre temple intérieur ; jour auquel par un eschange favorable, nous consacrasmes nostre vie à Dieu, pour ne plus vivre qu'en sa mort : jour fondement, Dieu aidant, de nostre salut ; jour présage de la sainte et désirable éternité de gloire ; jour duquel le souvenir nous resjouyra non seulement en la mort temporelle, mais encor en la vie immortelle ! Hélas ! ma tres chère Fille, il est vray, Dieu, ce me semble, vous

faisait alors renaître spirituellement entre mes bras intérieurs, qui vous embrassèrent certes tendrement, et mon cœur fut tout dédié au vostre.....

Pontificale Romanum (Antv. 1627), De Benedictione et Consecratione Virginum.... Oremus (benedicendo torques, sive coronas) „ Bene † dic Domine ornamenta ista ; et præsta, per invocationem tui Nominis, ut quæcumque ea portaverint, si Tibi fideliter servierint, coronam, quam illa designant, in cœlo percipere mereantur "... In præfatione..: Qui humanam substantiam, in primis hominibus diabolica fraude vitiatam, ita in Verbo tuo, per Quod omnia facta sunt, reparas, ut eam non solum ad primæ originis innocentiam revoces, sed etiam ad experientiam æternorum bonorum, quæ novo in sæculo sunt habenda, perducas ; et obstrictas adhuc conditione mortalium, jam ad similitudinem provehas Angelorum... Per Te, quod sunt professæ, custodiant : scrutatori pectorum non corpore placituræ, sed mente, transeant in numerum puellarum sapientum, ut cœlestem Sponsum, virtutum accensis lampadibus, cum oleo præparationis expectent ; nec turbatæ improviso Regis adventu, sed securæ, cum lumine, et præcedentium virginum choro junctæ, jucundanter occurrant.....

Invitatæ, spondent virginitatem ; et Pontifex imponit velum super caput dicens : Accipe velamen sacrum, quo cognoscaris mundum contempsisse, et te Christo Jesu veraciter humiliterque, toto cordis annisu, sponsam perpetualiter subdidisse ; qui te ab omni malo defendat, et ad vitam perducat æternam. R. Amen.

Invitatio ad coronas : Veni, sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum. — Impositio coronarum : Accipe coronam virginalis excellentiæ ; ut sicut per manus nostras coronaris in terris, ita a Christo gloria et honore coronari merearis in cœlis.

Surgentes virgines : Ecce, quod concupivi, jam video ;

quod speravi, jam teneo : Illi sum juncta in Cœlis, Quem in terris posita tota devotione dilexi.

Benedictio super stantes humiliter inclinatas : Deus..... Tu has famulas tuas, quas ex omni numero gregis, ut bonus Pastor, ad conservandam coronam perpetuæ virginitatis et castimoniam animæ eligere dignatus es....

Benedictio super illas genuflexas : Benedicat vos Deus Pa † ter, et Fi † lius, et Spiritus † Sanctus, omni benedictione spirituali :..... ut cum ille tremendus remunerationis justorum retributionisque malorum dies advenerit, non inveniat in vobis ultrix flamma, quod urat, sed divina pietas, quod coronet ; quas jam in hoc sæculo conversatio religiosa mundavit, ut ad tribunal æterni Regis ascensuræ, celsaque palatia, cum iisdem habere mereamini protectionem, qui sequuntur Agnum.....

PARS PRIMA.

Antiqua documenta usque ad Wicleffum n. 1324 — m. 2 dec. 1387.

SECTIO TERTIA.

Ius canonicum.

EAMDEM doctrinam multipliciter in Jure Canonico expressit Ecclesia. Ibi enim pœna consideratur — vel ut satisfactio pro peccato, culpæ reatu jam dimisso, debita; et tunc vocatur pœnitentia — vel ut simul medicina, ad emendationem delinquentis inventa; et tunc vocatur censura — vel etiam ut disciplina, sacri ministerii honorem primario intendens; et tunc vocatur irregularitas.

Tanti autem pretii satisfactorius Monachatus valor in Ecclesiæ oculis habetur, ut: 1° Inter opera pœnitentiæ, Religionis Professio maxima æstimetur satisfactio; unde: a) Profitenti Religionem alia pœnitentiæ satisfactio negatur esse necessaria; cap. Quis aliquando, § His auctoritatibus; — b) nec pro gravissimo quidem peccato imponitur Religionis Professio, sed tantum ut animæ majus bonum consulitur; cap. Admonere; — c) Religionis Professio voto obstrictum ab omni alio opere, etiam si esset Dominici Sepulchri visitatio, eximit; cap. Scripturæ;

2° Religionis Professio Profitentem a censuris et irregularitatibus quandoque vel totaliter, cap. Ut filii, vel saltem quoad omnem rigorem eximat, cap. Ex litterarum, Cum illorum, Antiquæ.

Nihil ergo mirum si Juris Canonici tam evidens doctrina etiam in Jus Civile redundaverit, ut in fine hujus sectionis

uno alterove exemplo patebit. Sequuntur nunc capitula Juris Canonici eo ordine quo in Corpore Juris Canonici reperiuntur; capitula vero ab auctoribus in doctrinæ confirmationem invocata, cæteris exclusis, eliguntur.

Decreti Gratiani, secunda pars, causa XXXIII, quæstione II, cap. VIII. ADMONERE te cum lacrymis, et multo gemitu cordis curamus, fili Hastulphe: sed non filius debes dici, qui tam crudeliter infelix homicidium perpetrasti. Nam occidisti uxorem tuam, partem corporis tui, legitimo matrimonio tibi sociatam, sine causa mortis, non tibi resistentem, non insidiantem quoquo modo vitæ tuæ. Non invenisti eam cum alio viro nefariam rem facientem: sed concitatus a diabolo, impio furore inflammatus, latronum more atrocius cum gladio tuo, crudelior omni bestia, interemisti: et nunc post mortem ejus addis iniquitatem super iniquitatem, filiorum tuorum improbe prædo. Qui matri non pepercisti, et filios tuos orphanos fecisti, inducere super eam vis mortis causam post mortem: per unum homicidam et reprobum testem incusare vis mortuam. Quoniam nec Evangelium, nec ulla divina humanaque lex unius testimonio etiam idoneo quempiam condemnat, vel justificat, quanto magis per istum flagitiosissimum, et scelestum nec ulla viva debuit condemnari, nec a te post ejus mortem accusari? Prius causa criminis subtiliter erat investiganda: et tunc, si ita fuisset inventa, secundum legis tramitem debuit accipere ultionis vindictam. Nam si verum (quod absit) fuisset, sicut ille adulter mentitus est, post septem annos pœnitentia peracta dimittere eam per approbatam causam poteras, si voluisses: occidere tamen eam nullatenus debuisti. Non enim vult Deus mortem peccatoris, sed ut convertatur ad pœnitentiam, et vivat. Idcirco placeat tibi consilium nostrum, et hoc fac, quod melius tibi, leviusque videri potest: miserere animæ tuæ, ut non sis tu tibimetpsi homicida. Relinque quapropter te rogamus, hoc malum sæculum, quod te traxit ad

immanissimum peccati facinus: ingredere Monasterium, humiliare sub manu Abbatis, et multorum fratrum precibus adjutus, observa cuncta simplici animo, quæ tibi fuerint imperata: si forte ignoscat infinita Dei bonitas peccatis tuis, et refrigeret animam tuam, priusquam crucieris æternis flammis. Hoc levius, et melius tibi esse certissime scias. Si autem publicam pœnitentiam, permanens in domo tua, vel in hoc mundo, vis agere (quod pejus tibi, et durius, et gravius esse non dubites); ita, ut agere debes, exhortamur, omnibus diebus quibus pœnitere debes, vinum et ciceram non bibas; carnem nullo unquam tempore comedas, præterquam in Pascha, et in die Natalis Domini: in pane, et aqua, et sale pœnitentiam age: in jejuniis, et vigiliis, et orationibus, et eleemosynis omni tempore persevera: armis nunquam cingere, nec in quolibet loco litigare præsumas. Uxorem nunquam ducere, concubinam non habere, nec adulterium committere audeas: in balneo nunquam laveris, in conviviis lætantium nunquam te misceas, in Ecclesia segregatus ab aliis Christianis post ostium, et postes humiliter te repone, ingredientium, et egredientium suppliciter orationibus commenda te, communione Corporis et Sanguinis Domini cunctis diebus vitæ tuæ indignum te existimes: in ultimo tamen exitus vitæ tuæ die, si merueris, pro viatico, si sit, qui tribuat, tantummodo venialiter ut accipias, tibi concedimus. Sunt et alia multa, quæ tibi nimis durius, et satis acrius erant juxta magnum pondus peccati, infelix, adjicienda. Sed si hæc omnia, quæ tibi misericorditer supra dicta sunt, perfecto corde, Deo auxiliante, feceris, et custodieris, confidimus de immensa Dei clementia remissionem habiturum te tuorum peccatorum, et secundum dictum justi, bonique pastoris resolvere te sancta Ecclesia ab hoc vinculo peccati in terris, ut per Ipsius gratiam, Qui eam suo Sanguine acquisivit, solutus sis in cœlis. Sin autem aliter feceris, et sanctæ matris Ecclesiæ tam salubrem

admonitionem despexeris, ipse tibi sis judex, et in laqueo diaboli, quo irretitus teneris, permanebis et sanguis tuus super caput tuum: nos alieni a consortio tuo pro aliorum filiorum Dei salute, ipso opitulante, omni sollicitudine nitimur desudare, et Domini misericordiam attentius quotidie implorare.

Decreti 2 pars, causa XXXIII, quæst. III, cap. LXXXVII. Quis aliquando... § His auctoritatibus asseritur neminem sine pœnitentia, et confessione propriæ vocis a peccatis posse mundari. Unde præmissæ auctoritates, quibus videbatur probari, sola contritione cordis veniam præstari, aliter interpretandæ sunt, quam ab eis exponantur. Negationem namque Petri secuta est satisfactio lacrymarum, et trina confessio Dominicæ dilectionis, qua penitus delevit peccatum trinæ negationis. Non ergo necessaria sibi erat certa satisfactio peccati: cujus totum vitæ tempus, obedientiæ impendebatur sui conditoris. Imitabatur enim illud propheticum: „ Declina a malo, et fac bonum. Ps. 36." et illud Esaiæ (55): „ Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas " etc. Amplius horum nihil a peccatore exigitur. Non ergo illa auctoritate Leonis Papæ satisfactio pœnitentiæ negatur esse necessaria cuilibet delinquenti, sed ei tantum, qui beatum Petrum imitatus, huic sæculo penitus abrenuntiat, et cunctorum vitiorum fomitem in se funditus mortificat...

Decretales Gregorii IX, Libro I, Titulo XVII, De filiis presbyterorum ordinandorum vel non, cap. I. Ut filii presbyterorum, et cœteri ex fornicatione nati, ad sacros Ordines non promoveantur. Nisi aut Monachi fiant, vel in congregatione canonica regulariter viventes: prælationes vero nullatenus habeant. Sed neque servi: nisi a dominis suis libertati donantur. (Glossa Domini Bernardi: Ex hac decretali nota quod ingressus Monasterii tollit irregularitatem provenientem ex alterius delicto. Item filii presbyterorum prælationem habere non possunt).

Decretales Gregorii IX, Libro III, Titulo XXXI, De Regularibus et transeuntibus ad Religionem, cap. ultimo. Ne Religiosi vagandi occasionem habentes, salutis propriæ detrimentum incurrant, et sanguis eorum de prælatorum manibus requiratur: Statuimus, ut præsidentes capitulis celebrandis secundum statutum Concilii (Later. sub Innoc. 3, c. 12) generalis seu patres, abbates, seu priores fugitivos suos et ejectos, de ordine suo requirant solicite annuatim. Qui si Monasteriis suis recipi possunt secundum ordinem regularem, abbates sui priores excommunicatione prævia per censuram ecclesiasticam compellantur ad receptionem ipsorum, salva Ordinis disciplina. Quod si hoc regularis ordo non patitur, auctoritate nostra provideant ut apud eadem Monasteria in locis competentibus, si absque gravi scandalo fieri potuerit, alioquin in aliis religiosis domibus ejusdem Ordinis ad agendam ibi pœnitentiam, talibus vitæ necessaria ministrentur. Si vero hujusmodi fugitivos vel ejectos inobedientes invenerint, eos excommunicent: et tamdiu faciant ab Ecclesiarum prælatis excommunicatos, publice nuntiari, donec ad mandatum ipsorum humiliter revertantur. (Hoc capitulum a solo S. Bernardino Senensi invocatur).

Decretales Gregorii IX, Libro III, Titulo XXXIII, De voto votique redemptione, cap. IV. Scripturæ (et infra): Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur Religionis observantiam commutare. (Glossa D^ni^ Bernardi: Nota quod non frangit votum qui illud in melius permutat. Item magis servire videtur qui temporale servitium in perpetuum permutat). Scripturæ sacræ testimonio declaratur quod spiritualis homo propositum non mutat, cum pro salute animæ suæ utilius aliquid meditetur. Inde est quod vestris justis postulationibus non indignati indulgemus: quod qui sepulchrum Domini vel aliorum sanctorum limina proposuerunt visitare et infirmitate vel alia rationabili causa

occurrente Habitum Religionis assumere, atque inter vos Deo servire voluerint, libere ipsos suscipere valeatis.

Decretales Gregorii IX, L. V, Tit. 9, De Apostatis et reiterantibus Baptisma, cap. 2. Ex LITTERARUM tuarum tenore perpendimus, quod quidam ægritudine longa confectus, insano sortilegarum mulierum credens consilio, ut sanaretur, per iterationem fecit injuriam Baptismatis Sacramento : (et infra). Quia ergo tua nos duxit prudentia consulendos, qualiter puniri debeat acolythus, quem minor ætas et intentio fraternæ salutis excusare videtur. Discretioni tuæ præsentibus litteris respondemus quod ad superiores Ordines promoveri (si publicum est, quod proponitur) non valebit, nisi ad Religionem transire voluerit, ut favore Religionis ipsius, circa eum valeat dispensari. Si vero occultum est, promoveri poterit, et excessum suum dignis pœnitentiæ fructibus expiare. (Glossa D^ni^ Bernardi : nota quod favore Religionis dispensatur cum aliquo). Astitit huic autem sacrilegio adolescens quidam bonæ, ut videtur, indolis, acolythus frater carnalis illius in quo Baptismus asseritur iteratus, qui ministerium in respondendo exhibuit præsbytero baptizanti et cooperator extitit rei nefariæ.

Decretales Gregorii IX, Libro V, Titulo XXXIX, De sententia excommunicationis, cap. XXXII, CUM ILLORUM absolutio, qui in violenta manuum injectione in clericos labem excommunicationis incurrunt (quibusdam casibus a prædecessore nostro exceptis) Sedi dumtaxat Apostolicæ reservetur, nonnulli ecclesiasticam sententiam negligentes, in excommunicatione positi, ecclesiasticos ordines accipere non formidant. Quid autem de his fieri debeat, Apostolicum sæpius oraculum imploratur. Circa quos credimus distinguendum, quod tales vel sciunt excommunicationis se vinculo irretitos, vel non recolunt factum, vel factum quidem scientes, juris ignari nesciunt exinde se teneri. Primos si fuerint sæculares clerici, a susceptis

Ordinibus censemus in perpetuum deponendos ; in reliquis casibus tam Archiepiscopi, quam Episcopi absque mandato Sedis Apostolicæ speciali dispensandi facultatem se noverint non habere, quibus etiam absolutio taliuṁ interdicta : cum majora itelligantur illis prohibita, quibus vetita sunt minora. Poterunt tamen hujusmod Ro. Ponti. auribus intimari, ut ab eo secundum rigorem vel æquitatem responsum prodeat, prout discretio sua viderit faciendum.

Qui si claustrales hujusmodi fuerint, licet ab Alexandro papa fuerit constitutum, Monachi et canonici regulares quocumque modo se in Claustro percusserint, non sunt ad Apostolicam Sedem mittendi, sed secundum providentiam sui Abbatis disciplinæ subdantur, et si Abbatis discretio ad eorum correctionem non sufficit, providentia est diœce. Episcopi adhibenda, et alibi dicatur, quod de sæculo fugientes, qui Religionis Habitum in Monasterio receperunt, et inter cœtera postmodum confitentur se tale commisisse delictum, per quod ipso actu excommunicationis sententiam incurrerunt, sine licentia Ro. Pont. Abbas non potest nec debet eos absolvere, quamvis præsumptionem delinquentium debita possit animadversione punire : nos tamen in Religionis favorem, et ut evagandi materia subtrahatur, majores eis gratiam exhibere volentes, eorum prælatis quod etiam talibus absolutionis beneficium impertiri valeant indulgemus : nisi excesus ipsorum extiterit difficilis et enormis, utpote si ad mutilationem membri vel effusionem sanguinis est processum, aut in Episcopum, aut Abbatem violenta manus injecta, cum excessus tales et similes nequeant sine scandalo præteriri. Si vero claustralis aliquis in religiosam personam alterius claustri manus injecerit violentas, per Abbatem proprium et ejus, qui passus est injuriam, absolvatur. Quod si clericum percusserit sæcularem, nonnisi per Apostolicam Sedem (ut scandalum evitetur) absolutionis gratiam poterit promereri. Si autem hos ad ordines promoveri contingat, juxta præmis-

sam distinctionem, qui scienter in contemptum ecclesiasticæ disciplinæ se fecerint ordinari, ab executione suscepti ordinis, decernimus manere suspensos. Circa reliquos vero facti memoriam, vel juris peritiam non habentes, Monasteriorum utilitate pensata, post injunctam regularem pœnitentiam et peractam, Abbates ipsorum poterunt dispensare, nisi grave fuerit et notabile factum : aut is qui fecit adultus fuerit et discretus, ut violenter contra oblivionem vel ignorantiam præsumatur. Præcipimus autem Abbatibus, ut formam istam diligenter observent, ne privilegium mereatur amittere, qui sibi permissa abutitur potestate. (Glossa D^ni^ Bernardi: Nota quod sæcularis excommunicatus Ordinem scienter suscipiens deponitur. Item regularis excommunicatus scienter Ordinem suscipiens suspensus est ab executiene Ordinis. — Item in eodem genere delicti dispensat Abbas cum Monachis in quo non potest dispensare Episcopus cum suis clericis).

Extravagantes Joannis XXII, Titulo VI, De voto et voti redemptione, cap. unicum. ANTIQUÆ concertationi finem cupientes imponere, ac animarum periculis inde provenientibus salubriter providere, de fratrum nostrorum consilio præsenti declaramus edicto, quod licet votum solemnizatum per sacri susceptionem Ordinis, quantum ad impediendum matrimonium contrahendum, ac ad dirimendum, si post contractum fuerit, secundum statuta canonum sit efficax reputandum : ad dissolvendum tamen prius contractum, etiam si per carnis copulam non fuerit consummatum (quum ne jure divino, nec per sacros reperiamus canones hoc statutum) invalidum est censendum : auctoritate Apostolica districtius inhibentes, ne quispiam durante matrimonio, nondum etiam consummato aliquem de sacris Ordinibus præsumat suscipere, nisi prout sacris canonibus noverit convenire. Quod si secus a quoquam forsitan attentatum fuerit : ordinamus quod nec matrimonio soluto in sic suscepto Ordine ministrare, nec ad superiores Ordines

provehi, nec ad aliquod beneficium, vel officium ecclesiasticum valeat promoveri. Nisi aliquam de Religionibus approbatis (quarum Professio ad castitatis custodiam, et abdicationem temporalium, et sui Superioris obedientiam suos professores astringat) ipsum canonice contigerit ingredi, ac ejus regulam expresse vel tacite profiteri: quo casu diœcesanus super præmissis et singulis præmissorum cum eo dispensare valeat, nisi sit aliud canonicum, quod obsistat. Ad ingressum hujusmodi sic ordinatum (si matrimonium consummatum non fuerit) per diœcesanum instanter moneri præcipimus, et induci: quod si forsan renuerit adimplere, ipsum (si sponsa ejus institerit) per censuram ecclesiasticam compellendum decernimus contractum matrimonium consummare. Nulli, etc. nostrarum declarationis, inhibitionis, ordinationis, præcepti et constitutionis infringere. Datum Avinioni calend. Decembris. Anno septimo.

Appendix ex Corpore juris civilis. AUTHENTICORUM Collatio I, Tit. V, DE MONACHIS: Conversationis Monachalis vita sic est honesta, sic commendare novit Deo ad hoc venientem hominem, ut omnem quidem humanam ejus maculam detergat, purum autem declaret, ac rationabili natura decentem, et plurima secundum mentem operantem, et humanis cogitationibus celsiorem. – Glossa: maculam detergat, i. purget, scilicet a peccato. – purum, a peccato.

Novella 123, cap. XLI, Tit. VI, Coll. IX, De SS^mis^ Ep^is^ et Deo amabilibus. Nullam licentiam damus, aut parentibus filios, aut filiis parentes, sæcularem vitam sectantes, et relinquentes, velut ingratos a sua excludere hæreditate, Monasterium aut Monasticam vitam subsecutos. Interdicimus autem parentibus filios suos Monasticam vitam eligentes, ex venerabilibus Monasteriis abstrahere.

Codex Domini Justiniani, Libro I, Tit. III, De Episcopis et Clericis, LVI. DEO NOBIS § HOC ETIAM cognitum nobis

correctione nostra dignum esse judicamus: ut, si quis in parentum potestate constitutus vel constituta, vel forsan hujusmodi jure absolutus vel absoluta, elegerit se Monasterio vel Clero sociare, et reliquum vitæ suæ tempus sanctimonialiter degere voluerit, non liceat parentibus eosdem vel easdem quocumque modo abstrahere, vel propter hanc tandummodo causam quasi ingratum vel ingratam a sua hæreditate repellere; sed necesse sit eis omnimodo cum ultimam voluntatem suam sive per scripturam sive alio legitimo modo perficiunt, quartam quidem portionem secundum leges nostras eis relinquere, sin autem et amplius voluerint eis largire hoc eorum voluntati concedimus...

Quod in Corpore Juris Canonici etiam habetur: Decreti Gratiani secunda Pars, causa XIX, quæst. III, cap. X: Non liceat parentibus liberos, vel liberis parentes, ab hæreditate repellere Monachos factos: quamvis dum laïci fuerant in causam ingratitudinis inciderint. Item non liceat parentibus liberos suos ad solitariam vitam transeuntes abstrahere Monasteriis.

Glossa in dicto §. Hoc etiam, verbo quasi ingratum, causam assignat, quasi ingressus Monasterii omnia purget.

Franciscus Zypæus, De juridictione Eccl. et Civ., l. I, C. XXI. n. 11, duos ultimos Juris Civilis textus interpretans, dicit: De Monachis autem singulatim statutum est Nov. 123, ut quamvis, dum laïci essent, incidissent in causam ingratitudinis, a parentibus aut liberis nequeant exhæredari C. Non liceat 19, q. 3, nec ingressus invito patre, causam ingratitudinis aut exhæredationis præstet, nec filium familias pater potest abstrahere. L. Deo nobis § Hoc etiam c. de Episc. et Cler. ubi agitur tam de iis qui Monasterio; quam qui Clero se voluerint sociare, „non liceat propter hanc, inquit, tantummodo causam, quasi ingratum a successione repellere:" eoque significare a contrario videtur: si aliæ causæ sint, repelli posse: sed in Monachis

illud correctum per d. novellam 123 et Glossa in d. § Hoc etiam, in v. quasi ingratum, causam assignat, quasi ingressus Monasterii omnia purget, quod de ingratitudine satis expressum in d. c. Non liceat: de aliis argumentum adfertur c. Ex litterarum IX De Apostat. ubi glossa fin. sed ipse textus non tam purgationem inducit: quam ut favore Religionis ipsius, inquit, circa eam valeat dispensari. sed c. I, XVII De filiis presbyt. ordinationem admittit in filio presbyteri Monacho, sine mentione dispensationis. Unde Navarr. et alii apud Zerolam p. 2. v. irregularitas § II, irregularitatem omnem tolli ajunt, quæ non sit incursa proprio vitio ingressi. (Tomo II Editionis Antverpiensis MDCLXXV).

PARS SECUNDA.

Antiqua documenta a Wicleffo — ad Melanchton. a fine sæculi 14 ad sæculum 16.

OMNI tempore exstiterunt Ordinis Monastici adversarii prout ex historiis evidenter constat; attamen inter alios infensissimi fuerunt hæretici 14i et 16i sæculorum. Quum autem acriter ab iis impugnata fuerit doctrina de Religiosæ Professionis valore satisfactorio, et victoriose a catholicis doctoribus vindicata fuerit eadem perpetua in Ecclesia doctrina, inde opportuna visa est occasio distinguendi a hisce sæculis novas partes in antiquorum documentorum propositione. Catholicorum etenim doctrina ex hac violenti impugnatione, ut omni inspicienti facillime patebit, novum et pleniorem utraque vice splendorem adepta est.

Sæculo XIVo ad finem vergente, apparuit in Anglia Joannes Wicleffus qui, ab anno 1324 natus, Theologiam docuit cum multorum approbatione in Universitate Oxoniensi (Oxford), deinde ex invidia excandescens in nefarias hæreses propagandas toto ardore prorupit. Quoad vero Ordinem Monasticum ejus rabies dignoscitur ex propositionibus 31, 34, 35, 44, damnatis in Concilio Constantiensi, quæ ita sonant: 31. Peccant fundantes Claustra: et ingredientes sunt viri diabolici. 34. Omnes Ordines mendicantium sunt hæretici, et dantes eis eleemosynam sunt excommunicati. 35. Ingredientes Religionem, aut aliquem Ordinem, ex ipso inhabiles sunt ad observanda divina præcepta, et per consequens ad perveniendum ad regnum cœlorum, nisi apostataverint ab eisdem. 44. Augustinus, Benedictus et Bernardus damnati sunt, nisi pœnituerint de hoc quod habuerunt possessiones, et instituerunt et

intraverunt Religiones: et sic a Papa usque ad ultimum religiosum omnes sunt hæretici.

Primo damnatus est in particulari Concilio Londinensi 17 Maii 1382; et cum ejus scripta in Bohemorum partibus plurimos decepissent, damnatæ sunt propositiones 45 in Concilio generali Constantiensi 2 Maii 1415. Hujus errores suis et scriptis et eloquentia confutasse laudatur Thomas Waldensis, qui etiam Consilio Constantiensi interfuit.

Thomas Waldensis († 1430), Anglicus Carmelita, Tomo III De Sacramentis, Tit. IX, cap. LXXX, n. 8. Professio Religionis quod sit secundum Baptisma, delens omnia peccata, et lumen conferens. Et unde meruerit hanc prærogativam, ut secundum Baptisma nuncupetur.

7..... Jam venit ad novam vitam, nova nupta sponsa Agni: ideoque inducit novam stolam, antiquam abjiciens, secundum Dionysium. Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est, inquiente Prælato: sic item de virgine professa Papæ Liberii supra Ambros. Apud Apostolum Petrum virginitatis professionem vestis mutatione signares. Nimirum quasi jam alio renascens Baptismate, novam, et vestem candidam perfectæ vitæ recens professor accipiat. Quamdam enim gratiam renascentiæ sumit sancto Baptismati proxima effectu et gradu. Sed ad hoc verbum stimulatur Witcleff, miroque dolore torquetur erga munditiam Christianam libro de Ecclesia et membris cap. 12. — Witcleff. Hic, inquit, erubescerent nostri privati Ordines blasphemantes, quod eo ipso, quo quis Ordinem illorum ingreditur, vestito corporali habitu, quem taliter solemnizant, deletur omne peccatum suum præteritum, et nova gratia informatur. Hoc enim non contigit regulariter de Statu Apostolico, ut patet de Scarioth. Hæc Witcleff. — Auct. Non errat jam simpliciter, sed errorem errore confirmat. Confirmat etiam hæresim de retentione peccati per necessitatem absolutam suæ præscientiæ, sicut dixit Judam non accipere potuisse

remissionem plenariam peccatorum per introitum Ordinis apostolici, nec item per Christi Baptismum, nec item per consequens quemcumque præscitum baptizatum infantem. In prædestinato autem agit, qui nullum peccatum potest habere mortale, juxta eum Baptismus quid delet? In utrisque juxta eum mortale non abluit, non ergo sancto Baptismati introitum perfectæ Religionis adæquo, sed ejus argumentum blasphemum quomodo contra Religionis sanctum ingressum et contra sanctum Christi Baptismum tendit adduco. Sic eligit necessitatem suæ præscientiæ, quam ipse invenit omni Christi Sacramento, et Religioni, et sacramentalium virtuti præferre. Sed audiat fidelis sanctorum fidem concedentem indubie non ficte Religionem intrantibus, secundum gradum munditiæ post Baptismum. Unde epistola ad Demetriadem virginem, quæ incipit, Inter omnes materias Hieron. Nunc quia sæculum reliquisti et secundo post Baptismum gradu inisti pactum cum adversario tuo, dicens ei, Renuntio tibi, Diabole, et sæculo tuo, et pompæ tuæ, et operibus tuis, serva fœdus quod pepigisti: et esto consentiens, pactumque custodiens cum adversario tuo, dum es in via hujus sæculi. Hæc ille. - Auct. Renuntians hac forma Diabolo, et ejus sæculo, ad secundum puritatis gradum reducitur post Baptismum, et adhuc purgetur, cui forsan nulla deest integritas, secundum illud Salvatoris in Evangelio (Joan. 15): Omnem palmitem, qui fert fructum, puta in communi semita mandatorum tuorum, purgabit eum Pater, ut fructum plus afferat, et purgato igitur animo Pater intranti Religionem, magnam confert, ut dixi, gratiam, non disparem omnino Baptismati: signum indulgentiæ apertum monstrat Ecclesia, irregularitates quasdam cassat, legum vindictas, reges laxant canones, lege Christi vota resolvunt, ut per vitæ innocentiam et abstersionem reatus non longe quam alter Baptismus rite putetur. Sicut epistola de dormitione Blesillæ, idem Hieron. Revera, si sæculare desiderium, et

(quod Deus a suis avertat) delicias hujus vitæ cogitantem mors immatura rapuisset, plangenda erat; nunc vero cum propitio Christo ante quatuor ferme menses quodammodo se Baptismo laverit, et ita deinceps vixerit, ut calcato mundo, semper Monasterium cogitaret, non vereris ne tibi Salvator dicat: Irasceris, Paula, quia filia tua facta est mea? Hæc ille. — Auct. Nondum ingressa est Monasterii septa, propositum tantum habebat. Et tamen secundo quodammodo proposito Baptismi se lavasse conceditur. Quid igitur ubi propositum effectum habet? non tunc diceretur quodammodo, sed secundo post Baptismum certo gradu se diluit, sicut de priori Hieron. ait: Nunc quia sæculum reliquisti, secundo post Baptismum gradu pactum inisti dicens, Renuntio. Interrogatus autem Bernardus unde hæc norma Religiosæ vitæ prærogativam meruerit ut Baptisma secundum dicatur, Respondet libro de dispensatione et præcepto versus finem. — Bernardus. Audire et hoc vultis a me, unde inter cætera pœnitentiæ instituta Monasterialis disciplina meruerit hanc prærogativam, ut secundum Baptisma nuncupetur. Arbitror ob perfectam mundi abrenuntiationem, ac singularem excellentiam vitæ spiritualis, qua præeminens universis vitæ humanæ generibus hujusmodi conversatio, professores et amatores suos Angelis similes, dissimiles hominibus facit: imo divinam in homine reformat imaginem, dum per hoc quod mortificamur membra nostra quæ sunt super terram, rursum Christum induimus, complantati denuo similitudini mortis ejus. Sed et quomodo in Baptismo eruimur de potestate tenebrarum, et in regnum transferimur claritatis æternæ; ita et in sancti hujus quadam generatione propositi, de tenebris æque non unius originalis, sed multorum actualium delictorum in lumen virtutum evadimus, reaptantes nobis illud Apostoli: Nox præcessit, dies autem appropinquavit (Rom. 13). Hæc ille — Auct. Præteriri non debet, quod efficaciam hujus secundi quasi Baptismatis

Bernardus expressit dicens, non unius originalis, sicut sanctum Baptisma primum, sed multorum intelligens omnium actualium delictorum, tenebras dissipans, novo aptans lumine in virtutum principio : nec est tantum alter quasi Baptismus fluminis, sed similem ei gradum tenet in Baptismo sanguinis per solam relictionem facultatum ob Redemptoris amorem. Unde libro epistolarum ad lapsos epistola quæ incipit : Pax Ecclesiæ. Cyprian. Primus est victoriæ titulus gentilium manibus apprehensum Dominum confiteri. Secundus gradus ad gloriam est cauta secessione substractum Domino reservari. Illa publica, hæc privata confessio est. Sequitur. Ille appropinquante hora sua jam maturus inventus est, hic fortasse dilatus est, qui patrimonio derelicto idcirco secessit, quia non erat negaturus. Hæc ille. – Auct. De duobus Martyrum titulis, secundum gradum eis assignat, qui patrimonio relicto secedunt, ne eo servato negare ducantur, quanto magis his, qui cuncta relinquunt, ut Deo in omnibus obsequantur, et res, et proximos, et affines, et carnis affectus, et usque ad usum propriæ voluntatis ? His attente perspectis, ex ore tantorum non fabula putanda erit, quam Joannes subdiaconus inter antiquorum Patrum refert historias. Joan. Suedi. Fuit quidam magnus inter prævidentes : hic affirmabat dicens: Quia virtutem quam vidi stare super Baptisma, vidi etiam super vestimentum Monachi, quando accepit Habitum spiritualem. Hæc ille. — Auct. Sic ergo Blesilla se lavit hujus quasi Baptismatis solo proposito, et tamen lavisse dixit Hieronymus. Facto ergo lavat, de facto professus tantum ne pœnitentia post purgationem indigeat, quæ est secunda tabula post naufragium. Ipse gradus constanter servandus est, qui secundus post Baptismum. Eadem epistola ad Demetriadem. Hier. Verum nos ignoremus pœnitentiam ne facile peccemus : illa quasi secunda post naufragium miseris tabula sit, in virgine integra servetur navis. Aliud est quærere

quod perdideris, aliud possidere quod nunquam amiseris. Hæc ille. — Auct. Hac ergo (9) sanctitatis forma præcepta, subjungit sacerdos...

Gerardus Rondelli † 1439. M. S. Bibliothecæ Seminarii Leodiensis.

Notæ præviæ. I. Gerardus Rondelli, gallice forsan Rondeau, Sacræ Theologiæ doctor eximius et canonicus Leodiensis, ad Conciliabulum Pisanum 1409 et ad Concilium Constantiense 1414 a Joanne Bavarico Leodiensi Episcopo delegatur; Imperatorem Sigismundum, Leodium 24ª Decembris 1416 advenientem, alloquitur; sacrum bellum contra Hussitas mense Junii 1421, Placentiæ Cardinali hac de causa Leodii præsente, publicat; 7ª Januarii 1434 Capituli S. Lamberti decanus eligitur; tandem 22ª Maii 1439 diem claudit ultimum. Rondelli opuscula quædam, hucusque inedita, exstant: 1º Utrum ingressus in Religionem per Professionem devote factam sit secundus Baptismus, sive alter Baptismus (Bibl. Semin. 6. F. 2); 2º Solemnis determinatio Magistri Gerardi Rondelli de Canone Missæ; 3º Tractatus de extremæ infirmitatis præparatione (Bibl. Semin. 6. G. 7); 4º Sermo de extremo judicio (Bibl. Semin. 6. N. 15); 5º Epistola ascetica Rº Patri Joanni Fabri (Bibl. Semin. 6. H. 17). Pro hac historica notitia ut et pro licentia opusculum primum transcribendi gratiæ maximæ sint Rdº Dnº J. Daris Ecclesiæ Leodiensis Canonico et in Seminario professori et bibliothecæ custodi.

Nota II. In secunda parte conclusionis tertiæ legimus: sic rationabiliter dici potest quod ingressus in Religionem approbatam absolvit devote profitentes ab omni peccato mortali et veniali et ab omni exteriori pœnitentiali pœna pro eisdem debita. Primo auditu verba offendunt aures incautas; sed si ad mentem auctoris attendit lector, omnis difficultas evanescit. Etenim a) absolvit non quemcumque Profitentem, sed devote Profitentem, vere fidelem pœnitentem in fide et gratia existentem; atque, in argumento

6ª infra, mentio fit de confessione tunc facta in qua non imponitur aliqua pœnitentia exterior pro peccatis; unde patet professioni devote factæ præmitti Sacramentum quo solo culpa mortalis remittitur. — b) Inspectio initii hujus conclusionis „Sic rationabiliter..." in memoriam revocat divi Thomæ sententiam 2. 2. q. 189 a. 3 ad 3. „Rationabiliter dici potest quod etiam per ingressum Religionis aliquis consequatur remissionem omnium peccatorum", quam S. Doctor statim de satisfactione pro peccatis expliquat. Ab auctore ipso D. Thomas invocatur cum aliis in confirmationem tertii argumenti tertiæ conclusionis. — c) Nihilominus tam distincte ponit „absolvit devote..." quia ex alia parte alludit ad Dist. IV Libri IV Sententiarum quam etiam in suæ doctrinæ confirmationem adducit. Ibi vero Magister, de Baptismo adulti agens, statuto prius adultum per fidem et contritionem, modo Sacramentum non contemnatur, statim etiam ante Sacramenti susceptionem, consequi remissionem culpæ et debiti pœnæ æternæ, quærit de illis, qui jam sanctificati Spiritu cum fide et caritate ad Baptismum accedunt, quid eis conferat Baptismus? Respondens vero concludit: „justificatus accedens ad Baptismum quasi ramus a columba portatur in arcam. Ante intus erat judicio Dei; sed nunc etiam judicio Ecclesiæ intus est. „Ergo in facie Ecclesiæ per Baptismum tunc fit jam antea facta coram Deo culpæ et æternæ pœnæ debiti remissio, et satisfactio exterior adhuc remanens a Baptismo jam non imputatur. Similiter concludit Doctor Rondelli „ingressus in Religionem approbatam absolvit devote Profitentem (Professioni confessionem Sacramentalem, qua jam ante professionem justificatur Dei judicio, præmittentem) ab omni peccato mortali et veniali (etiam tunc judicio Ecclesiæ, Professionem suscipientis) et ab omni exteriori pœnitentiali pœna pro eisdem debita (quæ ab ipsa Professione jam non imputatur). Eodem sensu additur in corrolario 1º „ingressus in Re

ligionem approbatam devote Profitentes absolvit ab æterna pœna. Ergo Doctoris Rondelli doctrina omnino immunis est ab errore qui de Professione faceret quoddam octavum Sacramentum remittens ex opere operato culpam peccati mortalis et æternam pœnam. His præmonitis, sequitur :

Determinatio Magistri Gerardi Rondelli Canonici Leodiensis sacræ Theologiæ doctoris eximii, hujus quæstionis : Utrum ingressus in Religionem per Professionem devote factam sit secundus Baptismus, sive alter Baptismus.

Proposita est enim quæstio per venerabilem virum Dominum et Fratrem Johannem in caritate Christi enim sincere dilectum sub hac forma : Utrum ingressus in Religionem approbatam per Professionem devote factam sit secundus Baptismus, sive alter Baptismus.

A. Primum Argumentum ad partes. — I° ad partem negativam sic : 1^um^ Ingressus in Religionem approbatam non habet eadem sive similem materiam nec similem formam sicut Baptismus maxime fluminis : quo non potest dici secundus Baptismus, seu alter Baptismus. Quarum pro tanto quoniam a forma sumitur sua specifica denominatio. Unde patet quoniam materia Baptismi est aqua : forma vero ejus consistit in dictis verbis ut puta : Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Nam notum est quod in ingressu Religionis nec in Professione requiratur aqua baptismalis pro materia, nec pro forma requirantur prædicta verba et per consequens intentum (stat argumentum). 2° argumentari : nam si ingressus in Religionem approbatam esset alter Baptismus, potissime videtur posse denominari sic propter eamdem efficaciam quoad absolutionem seu remissionem peccatorum et pœnarum. Sed istud non potest dici quoniam Baptismus in parvulis delet peccatum originale. Ingressus vero in Religionem per Professionem cum non ita fit, quia Profitentes jam mundati sunt a peccato originali cum sint

vere fideles pœnitentes in fide et gratia existentes, quo propter dependentes effectus ingressus in Religionem per Professionem nullo modo dici potest secundus Baptismus, seu alter Baptismus. - II. Sed quoniam argumentatur pro parte affirmativa, quantum a fine potest et debet fieri denominatio uniuscujusque rei, sicque testificatur commune proverbium „a fine denominatur res". Sed idem enim finis Baptismi et ingressus in Religionem, quod similiter possunt denominari. Et per consequens in Religionem ingressus per Professionem dici potest secundus Baptismus seu alter Baptismus.

B. Pru" Ad istam quæstionem sunt aliqua notanda. Et primo sciendum est quod tam Baptismus quam ingressus in Religionem possit dupliciter considerari: priori modo quoad suas essentias, posteriori quoad suos effectus. Et secundum hos possunt adhuc dupliciter considerari et consequenter sic vel sic denominari: noscendum enim quod Baptismus fluminis multiplices habet effectus: primo quidem parvulos accedentes ad Baptismum mundat ab originali peccato et absolvit a pœna æterna. Insuper confert gratiam et cœteras virtutes in munere et non in usu pro tunc; et ultimo fomes peccati debilitatur in iisdem. — Similiter secundo quoad adultos rite accedentes et non ficte eos absolvit ab omni peccato mortali et veniali si aliquod habeant et a pœnis pro illis peccatis eis debitis sive sit pœna æterna sive temporalis exterior pœnitentialis. Et in talibus cum fide et contritione accedentibus ad Baptimum augetur gratia operans vel cooperans, augentur virtutes etiam quoad usum ac fomes peccati debilitatur. Omnia ista habentur in l. IV Sententiarum dist. IV, ubi Magister allegat sanctos doctores Ambrosium et Augustinum. — Posset secundo quæri an ingressus in Religionem approbatam habeat similes effectus ratione cujus similitudinis possit dici sic denominari secundus Baptismus, seu alter Baptismus. - Tertio

sciendum est quod temporalis pœna est triplex, nam quædam est assumpta ut opera pœnitentiæ, quædam est inflicta ut sunt opera pœnitentialia. Et quælibet istarum est duplex: quædam interior, ut dolor vel tristitia in contritione de peccatis; alia exterior, ut jejunia in pœnis assumptis et verberationes peccatoris ab Episcopo quoad pœnas inflictas. Tertia pœna constituta est scilicet ab originali peccato ut fames, sitis et passiones contemporaneæ vitæ. (N. B. 1ª assumpta a quibusdam — 2ª inflicta quibusdam in vindictam vel medicinam — 3ª constituta naturæ humanæ toti.)

C. Istis suppositis, pono aliquas conclusiones quatenus pœna est ista. — 1ª Conclusio: Considerando Baptismum et Religionis ingressum quoad sua essentialia. Sic ingressus in Religionem approbatam non potest dici secundus Baptismus, seu alter Baptismus. Ista conclusio probatur per primas rationes in principio quæstionis ad ductas quoniam non habent similes materias nec formas, ratione cujus similitudinis possunt similiter cognominari. — 2ª Conclusio, considerando et comparando ingressum in Religionem ad Baptismum quoad omnes suos effectus. Sic ratione similitudinis ingressus in Religionem non potest dici alter Baptismus. Probatur per secundas rationes prius factas, quoniam Baptismus mundat parvulos a peccato originali; ingressus vero in Religionem profitentes non mundat a tali peccato, cum tale non habeant. — 3ª Conclusio: sicut Baptismus adultos rite et non ficte suscipientes absolvit ab omni peccato mortali et veniali et ab omni pœnitentiali pœna exteriori pro eisdem debita, sic rationabiliter dici potest quod ingressus in Religionem approbatam absolvit devote profitentes ab omni peccato mortali et veniali et ab omni exteriori pœnitentiali pœna pro eisdem debita.

D. Probatur conclusio et primo quoad partem primam quod Baptismus habeat virtutem talem primo per Ma-

gistrum Sententiarum Libro IV Dist. IV, ubi ad hoc allegat beatum Hieronymum et Ambrosium : nam beatus Ambrosius : sic igitur Gratia Dei non requiret in baptizato gemitum vel planctum vel aliud opus sed omnia gratis condonat. Quod de exteriori planctu vel gemitu accipiendum est secundum Magistrum. Nam sine interiore nemo adultus renovatur, sed exteriores satisfactiones et afflictiones, scilicet sordes pœnitentium, ibi dimittuntur. Ad idem est sanctus Thomas, similiter Albertus et Petrus. Et idem tenet beatus Augustinus de actualiter accedente ad Baptismum priusquam recesserit hujus fictio. Nam dicit quum fictio venienti confessione recesserit, tunc Baptismo peccata omnia ante Baptismum commissa delet quoad culpam et ad pœnam. Sed commissa post Baptismum delet quoad culpam tantum. Et hoc de pœnis æternis quæ magis delenter virtute pœnitentiæ.

E. Secunda pars conclusionis tertiæ probatur: primo auctoritate : quoniam in Vitis Patrum dicitur quod eamdem gratiam consequuntur Religionem ingredientes quam consequuntur baptizati ; sed baptizati consequuntur virtute Baptismi remissionem omnium culparum et pœnarum pœnitentialium exteriorum... — Secundo per assumptionem Crucis devote suscipiens obtinet remissionem omnium culparum et pœnarum exteriorum..... per ingressum in Religionem approbatam obtinet quis Profitendo remissionem omnium peccatorum suorum et omnium pœnarum pœnitentialium exteriorum, Con' tamen pro tanto quantum p^m... S... Crucem sumere est temporale, secundum est perpetuum durans per totam vitam hominis. -- Tertio si ex aliquibus eleemosynis factis homo potest satisfacere de peccatis suis secundum illud Danielis IV, 24 : Peccata tua eleemosynis redime, multo magis ad satisfactionem pro omnibus peccatis sufficit, quod aliquis se totum divinis mancipet obsequiis per Religionis ingressum quod excedit omne genus satisfactionis etiam publicæ pœnitentiæ ut habetur in Decret.

33ª causa, quæstione 2ª, capitulo Admonere.... Item sicut holocaustum excedit sacrificium ut dicit beatus Gregorius super Ezech. sic ingressus in Religionem excedit omne genus pœnitentiæ et per consequens sequitur quod per ingressum in Religionem approbatam quis satisfacit pro omnibus peccatis (1) et per consequens secunda pars conclusionis vera... contritio potest esse tanta in pœnitente quo per ipsam absolvatur pœnitens a Deo ab omni peccato mortali et veniali et omni pœna pro eisdem debita... ai (a pari ?) ingressus Religionis excedit omne genus pœnitentiæ ut allegatum est prius ex Decreto ; sequitur quod ingrediens Religionem approbatam absolutus est ab omni peccato et liberatus ab omni satisfactione et pœna exteriori pro peccatis suis debita. Et conclusio patet in IV Sententiarum quum per doctores, f. Sanctum Thomam et per plures alios, quare sententia... — Quarto per Martyrium quis absolvitur ab omni peccato et ab omni pœna exteriori pro eo debita. Quo similiter ingrediens in Religionem approbatam absolvitur ab omni peccato et pœna pro eodem debita. Conclusio probatur per doctores in diversis locis. Unde bonus latro pendens in Cruce juxta Christum bonam meruerat mortem corporalem pro peccatis suis. Tamen qui fecit de necessitate virtutem acceptans pœnam mortis et libere patienter tolerando meruit dici verus Martyr secundum Augustinum et per suum Martyrium absolutus est ab omni culpa et omni alia pœna juxta dictum Salvatoris : Hodie mecum eris in paradiso. Et si ita fuit de isto, a fortiori ita erit de aliis qui se sponte obtulerunt pro fide Christi mori. Sed consequentia pro tanto quoniam Religio est quoddam Martyrium (2) ratione laboris, vigiliarum, et aliarum

(1) Conferatur D. Thomas, 2. 2, quæst. 189, art. 3, ad 3, ubi tres rationes eadem sunt.

(2) D. Thomas, 4, Dist. 4, L mio, in verba Magistri. « Neque enim ille latro, pro nomine Christi crucifixus est » dicit : Contra est quod

pœnarum usque finem durantium. Et insuper, ut dicit Dominus Guilhelmus Altissiodorensis in Summa : Ingrediens Religionem moritur mundo et fit novus homo. Unde debet vivere secundum novitatem illam et secundum voluntatem Dei et sui Abbatis vel prioris videlicet prorsus : transfert enim dominium corporis sui et voluntatis suæ in dominium Dei et Abbatis seu prioris, unde non debet quid proprium velle sed solum quod generale hoc est quod ad traditionem pertinet (1). — Quinto quoniam ingrediens Religionem approbatam absolvitur ab omni alio voto etiam transmarino, quanto a forciori ab omnibus exterioribus satisfactionibus pro peccatis suis

---

Hieronymus dicit, in Ep¹ ad Paulinum de Institutione Monachi, quod Christus homicidii pœnam in illo latrone fecit esse Martyrium. — Et dicendum quod habuit aliquid de Martyrio, scilicet pœnam et justam voluntatem ; et aliquid defecit ad Martyrium, scilicit causa : sicut in Innocentibus defecit justa voluntas ; sed fuit pœna et causa. Hæc Thomas ibi. In utroque autem casu, ut in Martyrio perfecto, totius pœnæ remissio concessa est, prout constat ex Christi verbis : Hodie mecum eris in paradiso, pro latrone ; ex Ecclesiæ cultu, pro Innocentibus. Sed et Religio habet aliquid de Martyrio, scilicet causam, id est Christi amor ; justam voluntatem, id est tria vota perpetua ; et pœnam multiplicem, ut exponit Rondelli, crudelitate quidem Martyrio leviorem, duratione tamen graviorem, ita ut quæstio moveri possit quænam, Religionis aut Martyrii, pœna sit major. Unde Religiosus ad Martyrium perfectius quam bonus latro et Innocentes accedere patet : his enim integra ex tribus deest conditio — Religioso una dubie debilior invenitur. Valet ergo argumentum a fortiori per Magistrum Rondelli hic propositum.

(1) De hac voluntate et generali et propria audiatur S. Bernardus, Serm. 2. Tempore Pasch. n. 3 : « Voluntatem dico propriam, quæ non est communis cum Deo et hominibus, sed nostra tantum, quando quod volumus, non ad honorem Dei, non ad utilitatem fratrum, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes placere Deo et prodesse fratribus, sed satisfacere propriis motibus animorum. Huic contraria est recta fronte charitas, quæ Deus est. Hæc enim adversus Deum inimicitias exercens est, et guerram crudelissimam. Quid enim odit aut punit Deus præter propriam voluntatem ? Cesset voluntas propria, et infernus non erit. Etiam nunc cum frigus aut famen, aut aliquid tale patimur, quid læditur nisi propria voluntas ? Quod si voluntarie sustinemus, ipsa jam voluntas communis est, sed infirmitas quædam et velut pruritus voluntatis adhuc de proprio est, et in illo omnes pœnas sustinemus donec penitus consumatur. Nam voluntas illa proprie dicitur, cui assentimur, et cui se liberum inclinat arbitrium. Hæc autem desideria et concupiscentiæ, quæ invitos tenent, non voluntas, sed corruptio voluntatis est. »

præcedentibus.... ex generali doctrina doctorum et specialiter per Dominum Guilhelmum in Summa. Et ratio præcipua prius assignata est quod moritur mundo nec amplius est ipsius voluntatis sed efficitur novus homo. — Sexto argumentatur quoniam intrantibus Religionem in confessione tunc facta non imponitur aliqua pœnitentia exterior pro peccatis suis sive pro satisfactione eorum, et hoc secundum antiquam ordinationem antiquorum Patrum. Hoc autem nunquam ordinassent sancti Patres antiquitus si non credidissent quod devote ingredientes Religionem sunt liberati ab omni culpa et pœna exteriori pro eadem debita quæ conclusio pro qualibet parte valet. Et addendum est quod noviter dixi ab omni pœna exteriori quia nullus adultus absolvitur secundum Magistrum Sententiarum a pœnis vel pœnitentiis debitis pro eis per Baptismum vel ingressum in Religionem sine pœna illa interiori quæ habetur in contritione cum qua est dolor vel tristitia et displicentia de peccatis. Sed præter illam quæ habetur in contritione frequentius remanet alia pœna solvenda vel in purgatorio vel in hoc mundo vel per Baptismum si prius baptizetur vel per ingressum in Religionem vel per confessionem et opera pœnitentialia satisfactoria.

F. Et ex præcedentibus possunt inferri aliqua corrolaria: Primum est quod Baptismus absolvit rite suscipientes ab æterna pœna et per consequens ingressus in Religionem approbatam devote profitentes absolvit ab æterna pœna. Probatur quod ingressus in Religionem absolvit ab omni culpa mortali et veniali et omni pœna pro eadem debita; imo pœna æterna non debetur nisi pro originali aut mortali culpa.... — Secundum: sicut in Baptismo rite suscepto infunditur gratia vel augmentum, sic in ingressu in Religionem augmentatur gratia in Profitente. Probatur quia profiteri devote Religionem approbatam est opus maxime meritorium. Moneo secundum doctores, in quolibet merito de condigno datur seu augetur gratia gratum faciens

etc.... — Tertium est sicut in Baptismo dantur a Deo virtutes vel augmentantur rite suscipientibus, sic est in ingressu in Religionem approbatam devote Profitentibus. Probatur quoniam ingrediens Religionem efficitur novus homo secundum Ambrosium, et novus miles Christi ad expugnandum hostes Dei, ad bellandum contra insultus diaboli, ad declinandum pumpas mundi, ad resistendum oblectamentis carnis et ejus concupiscentiis. Decens est ergo quod in introitu tanti conflictus Deus induat suos milites suis armis. Arma vero Dei non sunt carnalia, ut inquit Apostolus, sed sunt virtutes theologicæ et morales, et dona Sancti Spiritus. — Quartum corrolarium est sicut in Baptismo fomes peccati debilitatur, sic rationabiliter potest teneri quod ita fit in ingressu Religionis per Profitentem devote Statum. Probatur quia in ingressu Religionis caritas augetur, contra cupiditas minuitur; consequentia, patet quoniam quanto in aliquo augetur caritas, tanto minuitur cupiditas, et per consequens fomes in eodem debilitatur. — Quintum est: ingrediens devote Religionem fortior est spiritualiter quam ante fuerat. Probatur tum quia cupiditas et fomes peccati diminuuntur in eodem, tum quia fortitudo spiritualis quæ est virtus moralis vel donum Sancti Spiritus augetur in ingressu Religionis sicut cœteræ virtutes, etc.... — Sextum est: licet Baptismus et ingressio in Religionem liberant rite suscipientes et devote profitentes ab omni culpa et pœna exteriori assumpta vel inflicta, tamen non liberant eosdem a poenis ab originali contractis, cujusmodi sunt fames, sitis et passiones aliæ contemporaneæ vitæ. Prima pars patet ex dictis; secunda per experientiam proh dolor! plus quam velimus. Sicut Deo lamentando conquærebatur Apostolus sic dicens: Infelix ego homo, quis me liberabit a morte corporis hujus. Sed has pœnalitates Deus pro sua summa Providentia remanere voluit in baptizatis et in intrantibus Religionem propter multas causas: 1° ad

manifestandum rigorem divini judicii, ut aspiciens ad pœnam respiciat ad medicinam et semper abhorreat peccatum. 2ª enim fuit ad manifestandum Christi meritum, ut homo sentiens pœnam semper recurrat ad medicum et semper subjectus sit pedibus gratiæ et misericordiæ Dei, quod non faceret si esset curatus ad integrum. 3ª enim fuit ad commendandam fidei perfectionem, ne homines propter quitationem pœnæ reciperent Baptismi Sacramentum aut intrarent Religionem, quia tunc secundum beatum Gregorium fides non habet meritum cum humana ratio præbet experimentum. 4ª enim fuit ad virtutum exercitium per quas promovetur liberum ab bonum. Et hæc causa septem habet ramos: a) primus est: nam per has pœnas homo humiliatur: Sagittæ Domini in me sunt (Job VI, 4); b) secundus ramus: timor incuttitur: Terrores Domini militant contra me (Job. VI, 4); c) tertius ramus; infirmitas propria cognoscitur: Vexatio intellectum dabit auditui (Esaias, 28. 19); d) quartus ramus: torpor excluditur: Surgite et ite quia non habetis hic requiem (Mich. II, 10); e) quintus ramus: peccatum contempnitur: Adam exemplum meum ab adolescentia mea (Zach. 13, 5); f) sextur ramus: virtus exercetur: Hæ sunt gentes quas Dominus dereliquit ut erudiret in eis Israëlem (Judicum 3, 1); g) septimus ramus: divina adoptio commendatur: Timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiam, et gaudium, et longitudinem dierum (Eccli. I, 12).

G. Et ex omnibus istis potest finaliter concludi corrolarium responsivum ad quæsitum. Videlicet quod sumendo denominationem a fine seu ab effectu, sic potest rationabiliter dici quod ingressus in Religionem approbatam, per Professionem devote factam, est secundus, seu alter Baptismus. Probatur quia habet similes effectus vel fines. Scilicet Baptismus quoad adultos rite suscipientes, et devote Religionem Profitentes quoad ingressum: probatur

ex tertia conclusione et corrolariis sequentibus.... a fine sumendo denominationes possunt similiter denominari. Et sic patet responsio ad quæsitum. Tunc ad rationes, duæ primæ arguunt pro duabus primis conclusionibus. Non vero prius argumentum arguit pro corrolario responsivo ad quæsitum. Et hæc sint dicta de quæstione proposita sub emendationem et correctionem melius intelligentium vel opinantium.

S. Bernardinus Senensis († 1444) Tract. II in Quadrages. Serm. 24. a. 1. De duodecim rationibus per quas ipsius status Religionis magnitudo meriti demonstratur.

Primo consideremus ipsius status Religionis commendationem. et perfectionem. De hac enim Bernardus in Libro de Præcepto et dispensatione, ait: Audire vultis.... mortis ejus (Vide supra p. 35). Hæc ille. Ex his ratio sumpta est, quod Religionem intrantibus de præteritis culpis non est pœnitentia injungenda, sicut patet de pœ. dist. I, § His auctoritatibus: et extra de voto, c. Scripturæ. Ubi de hoc glo. non enim de peccatis commissis post ingressum imponi debet, extra de regulari. et transeunti. ad Religionem c. ult. et extra de sentent. excom. c. Cum illorum. Proinde etiam notandum est, quod cœteris paribus votum, et opus factum ex voto superaddit ad simplex propositum, et ad opus ex simplici proposito factum, quandam meriti infinitatem: maxime in votis perpetuis, et super omnia in votis quæ sunt de substantia sacræ Religionis: et hoc maxime si considerantur tria in ipso vovente. Primo libertas, secundo largitas, tertio stabilitas.

Quod ex quadruplici ratione apparet ex libertate magnitudo meriti in vovente. — Primo consideretur in vovente libertas. Magna nempe est in homine dignitas libertatis, ita ut quidam sit ausus dicere: Non bene pro toto libertas venditur auro. Ideo apparere potest magnitudo meriti in vovente ex quadruplici ratione. Primo ratione donationis, secundo ratione æstimationis, tertio ratione adjunctionis,

quarto ratione approbationis. (S. B. exponit primo donari quod maximum habetur; secundo Deum appretiare Sibi datum, quantum est danti dilectum; tertio dono libertatis adjungi bonum promissionis...) Quarto apparet magnitudo meriti voventis, ratione approbationis. Hæc siquidem libertas, quod mirabilius est, non solum datur in hora, qua ipsum votum emittitur: sed etiam in omni tempore, quo sibi vovisse placet: et in quo cum hac complacentia votum implet. Si enim votum in sua emissione addebat quandam valoris et meriti infinitatem, et hoc per totum ipsius sequens replicatur, et multiplicatur, ergo votum continuatum superaddit multiplicem infinitatem. Tale quidem votum, et vota jam facta in sancta Religione alacriter approbare, est illud sacerdotale officium omnium perfectorum, in quo non est distinctio Judæi et Græci, maris et feminæ, servi et liberi: quia omnibus volentibus esse perfectos convenit illud I Petri II: Vos estis genus electum, gens sancta, regale sacerdotium, populus acquisitionis, ut virtutes Ejus annuntietis, Qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. (Hoc quarto S. B. tribuit ergo renovationi votorum eamdem infinitatem, sive valorem, quam supra tribuerat votorum emissioni. Jure merito ut princeps hujus sententiæ passim numeratur).

Magnitudo meriti in vovente apparet ex quadruplici ratione largitatis ejus. Capitulum 2. — Secundo apparet magnitudo meriti ipsius voventis, si consideretur in vovente largitas. Ex quadruplici enim ratione apparet maxima largitas in vovente. Primo ratione præfigurationis, secundo ratione subjectionis, tertio ratione intentionis, quarto ratione conjunctionis. Primo ratione præfigurationis. Secundum enim Gregorium in Ezechielem, hoc inter sacrificium et holocaustum distat quod omne holocaustum sacrificium est, sed non omne sacrificium holocaustum. (Magister L. IV. Dist. 38 ?)... Sicut igitur holocaustum

sacrificium est perfectum; ita per hæc tria sanctissima vota anima perfecte se sanctificat Deo, Cui et de exterioribus rebus, et de corpore proprio, et proprio spiritu medullosum holocaustum offert. Sicque astrictio hæc non solum de perfectione non minuit, sed culmen perfectionis inducit: quia de nostro facit dominium, dum non solum actum, sed etiam voluntatem dedicans Deo totum illud, quod est, offert, et redigit sub jure, et dominio Dei. Secundo ratione subjectionis. Nam quanto in modo dandi, et operandi Deum amplius honoramus, et Deo nos magis subjicimus: tanto magis donum et obsequium Sibi placet. Sed incomparabiliter magis honorat, qui quod dat Deo, dat Sibi, sicut Domino: quam qui dat Deo sicut liber, et dominus, et sicut non in hoc Deo plene obnoxius. Tertio ratione intentionis, seu volitionis. Quanto enim opus est magis voluntarium, et a majori voluntate, et virtute procedens: tanto magis meritorium est et Deo magis acceptum... Quarto ratione conjunctionis, seu astrictionis (quo enim magis unitur Deo operans, eo perfectius est opus ejus)...

Ex voventis stabilitate apparet magnitudo meriti propter quatuor rationes. Capitulum 3. Tertio quoque apparet magnitudo meriti ipsius voventis, si consideretur voventis stabilitas. Stabilitur enim amplius in via Dei, et in bono perseverantiæ vovens, quam non vovens quadruplici ratione. Primo ratione firmationis, secundo ratione adhæsionis, tertio ratione confusionis (vovens publice tenetur ex honore reddere), quarto ratione subventionis.

De duodecim fructibus votorum Religionis.

Ex his duodecim rationibus, quæ in præsenti articulo dictæ sunt, ad prædicandum formari possunt duodecim fructus votorum sanctæ Religionis: quasi votum sit lignum vitæ in medio paradisi S. Ecclesiæ seu Religionis. Gen. II. Et Apoc. ulti. dicitur, ex utraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim, per singulos men-

ses reddens fructum suum, quod potest esse aliud thema. Primi quatuor fructus sunt hi: Primus dicitur donatio, secundus adjunctio, tertius æstimatio, quartus approbatio. Secundi quatuor sunt hi: Primus dicitur præfiguratio, secundus subjectio, tertius intentio, quartus conjunctio. Tertii quatuor sunt hi: Primus dicitur firmatio, secundus adhæsio, tertius confusionis timoratio, quartus divina subventio.

S. Antoninus († 1459) Summa III p., Tit. XVI, c. III. De fructu seu utilitate Professionis: dicit Thomas 2. 2. quod rationabiliter dici potest quod per ingressum Religionis consequitur quis remissionem omnium peccatorum, sicut per assumptionem Crucis. Si enim aliquibus eleemosynis factis homo potest statim satisfacere de peccatis suis secundum illud Danielis IV, 24: Peccata tua eleemosynis redime: multo magis in satisfactione pro peccatis suis sufficit quod aliquis totaliter se divinis obsequiis mancipet per Religionis ingressum; quod excedit omne genus satisfactionis et publicæ pœnitentiæ ut habetur 33. q. 2 Admonere. Unum in Vitis Patrum legitur quod eamdem gratiam consequuntur Religionem ingredientes quam baptizati. Si tamen non absolveretur ab omni pœnæ reatu per ingressum Religionis: tamen utilior est ipse ingressus Religionis quam peregrinatio Terræ Sanctæ quantum ad promotionem in bonum quod præponderat absolutioni a pœna: Hæc Thomas.

Petrus de Palude intelligit per hunc ingressum ipsam Professionem: quia tunc totaliter se tradit per votum et irrevocabiliter. Qui Petrus in IV, dist. 4, q. 3 sic dicit: Potest probabiliter sic distingui (1): sicut obligatus ex delicto cedendo bonis nihil lucratur ut carcerem evadat, sed quod non potest solvere ære luit corpore: et exigitur usque ad novissimum quadrantem; sed obligatus ex

(1) Hanc Petri distinguendi rationem confutabit Sanchez hic infra.

contractu vel quasi cedendo bonis evadit carcerem : et ne postea conveniatur ultra quod facere possit : deducto ne egeat : cum s. postea venerit ad pinguiorem fortunam. C. qui bo. ce. po. l. 1. Sic Religionem Profitens cedit omnibus bonis suis de quibus satisfacere quis potest pro peccatis; s. exterioribus per paupertatem : corporalibus per castitatem ad quam servandam sunt instituta jejunia et aliæ austeritates : et interioribus per obedientiam. Unde Profitentes si non sunt contriti et confessi ex delicto obligati : et sic morientes traduntur exactori mittendi in carcerem inferni : donec totum reddant : quod nunquam erit. Si autem sunt contriti et confessi remittitur eis omnis pœna pro tali cessione bonorum. Et sic possunt intelligi aliquæ visiones quæ hoc sonant : ut in Vita Patrum et in legenda beati Antonii. Et Anselmus in lib. de Similitudinibus circa finem. Hoc tamen est sub hac conditione vel m̄o ut si superveniat quod est pervenire ad pinguiorem fortunam : satisfaciat. Quod si satisfecerint, bene quidem. Si autem non satisfaciunt sed sunt negligentes : in carcerem purgatorii satisfacient : et sic intelligi possunt quædam aliæ visiones : de quibus Religiosi qui mortui sunt revelaverunt se esse in purgatorio etiam pro peccatis in sæculo factis. Sed si ante negligentiam moriantur : quia in judicio confessionis quasi contrahit : ex cessione illa quasi gratia Dei omnia gratis condonat juxta etiam quasdam visiones. Ad hoc etiam facit quod dicitur in Auth. de Monachis scilicet quod Monachatus omnem maculam abstergit.

Dionysius Carthusianus († 1471). De Professione Monastica, c. ultimo seu appendix. Sententia est Bernardini aliorumque multorum doctorum : Quotiescumque Religiosus suæ recordatur Professionis, et hanc esse factam gaudet, adeo ut si illam non fecisset, adhuc Dei amore motus faceret, hoc est, mundo cunctisque vitiis ejus denuo abrenuntiare ut Ei, Qui Se propter hominem exinanivit,

formam servi accipiens, Quique venit non ministrari, sed ministrare, sese in hostiam ac servitutem perpetuam offerre paratus esset: Hoc, inquam, modo suæ Professionis quicumque fuerit memor, indulgentiam omnium peccatorum suorum plenam assequitur. Quod hoc probatur modo: Deus etsi non minus sit justus quam inferiores (quippe Cui omnes virtutes insunt modo incomprehensibili et infinito) magis tamen exercet misericordiam, utpote quæ suæ naturæ vicinius arridet, quam justitiam, dicente propheta Ps. 144: Suavis Dominus universis, et miserationes Ejus super omnia opera Ejus. Adstipulatur ad hoc lex, Arrianus, ff. de actib. et oblig. et lex favorabiliores. ff. de regu. jur. ubi dicitur: Quod faciliores et favorabiliores sumus ad absolvendum, quam ad condemnandum. Quam sententiam Alexander de Hales, in tertia parte Summæ in explicatione decalogi confirmat. Itaque si homines vitiis et peccatis dediti, pleni iniquitate et impietate hoc faciunt, quid de Deo sentiendum est, Cujus misericordia plena est terra? Ps. 53. Jacto igitur hoc fundamento, illud infertur: Homo qui post peccatum gaudet de eodem scelere a se patrato, paratus iterum hoc peccatum facere, si posset: hic, tametsi nequeat iterare peccatum propter malam tamen voluntatem (cui non deest peccatum) commeretur a Deo tot gradus pœnæ, quod ante commeruerat, quando peccatum opere consummavit. Testatur hoc Alexander in tertia parte Summæ, in tractatu de prohibitione concupiscentiæ. Ratio hujus est: quia mala voluntas apud Deum pro opere computatur; (Decreti Gratiani secunda pars causa 33, q. 3) de pœnia distin. prima cap. Homicidiorum (24), cap. Omnis (25), cap. Numquid (26), cap. Noli (27), cap. Si propterea (29). Ergo e diverso, quoties aliquis facit unum bonum opus, et postea de eo gaudet, ita ut rursus illud faceret si posset, quamvis non possit amplius iliud facere, Deus dabit illi tot gradus meriti et præmii essentialis ratione hujus bonæ voluntatis, quot prius dare debuit,

quando bonum illud fecit : quia bonum est potentius malo, primo Ethicorum (1). Cum ergo in Professione acquirat Religiosus indulgentiam plenariam omnium suorum peccatorum, conficitur quod etiam quotiescumque gaudet se fecisse Professionem, ita ut rursus ipsam faceret, si non fecisset : eamdem indulgentiam plenarium absque dubio consequitur, quam in Professione habuit. Et hanc potest renovare omni tempore, quoties voluerit, sola bonæ voluntatis renovatione. Cæterum hoc non solum in Professione, sed in omnibus operibus locum habet, ut quicumque deliberato animo statuit peccatum aliquod committere, ipso solo consensu meretur pœnam illi peccato debitam, sicut Christus dicit : Qui viderit mulierum ad concupiscendum illam, jam mœchatus est eam in corde suo (Matth. 5). Et e regione qui ex Dei amore proponit aliquod opus bonum suo tempore perficere, si impeditur ex rationabili causa, non negligentia spontanea, nihilominus bona voluntas ei apud Deum computabitur pro opere. Unde liquet, quam utile sit bonis exerceri desideriis. Nam qui se exercet devotis adspirationibus et desideriis ad Deum, cupiens ex toto corde suo et ex totis viribus suis Deum amare, laudare et glorificare, etiam supra quam ipse aut quæcumque creatura opere posset implere, bona hæc voluntas (ubi deest facultas) pro opere coronabitur. Quoties autem homo, etiam sæcularis, sese per amorem toto corde ad Deum converterit, et suam voluntatem propriam funditus abne-

(1) S. Bernardus, Tract. ad Hugonem, c. 2. n. 8. « Legimus : Omnis qui odit fratrem suum homicida est (1. Joan. 3); et item : Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam moechatus est in corde suo (Matth. 5). Quid planius quod voluntas pro facto reputatur, ubi factum excludit necessitas ? Nisi forte putetur in malo quam in bono efficacior inveniri voluntas apud Deum qui Charitas est ; et promptior esse ad ulciscendum quam ad remunerandum misericors et miserator Dominus ». — Bonum malo est potentior, quia malum, cum sit defectus boni et in se mera negatio, non potest esse, nisi alicui bono inhærendo : econtra bonum stat in semetipso. Sic v. g. cæcitas, carentia visus in animale, viventi adhæret ; morte sublato animale, evanescit defectu subjecti cui inhæreat.

gatam, divino beneplacito plenissime subjecerit, atque in Deum transfuderit, paratus Deo, Ecclesiæ, superioribusque suis, et rectæ rationi suæ a Deo illuminatæ, in prosperis et adversis constanter obedire, toties plenariam a Deo consequitur indulgentiam omnium peccatorum, cum hæc sit vera Professio cujuscumque hominis Christiani sæpius renovanda, quam etiam nemo est qui facere non possit. Pro hac obtinenda quilibet Christianus totis viribus niti, Deumque assiduis precibus pulsare debet. Nam licet facile dicere possit, Resigno me in voluntatem Dei: tamen nonnisi maxima Dei munificentia, summoque labore perfecte obtinebit, ut in omni adversitate et pressura (qua veram resignationem probat) Deo adhærens, gratus et obediens usque ad mortem persistere, passionesque suas vitiosas usque ad sanguinem resistendo mortificare, Deique honorem et beneplacitum in omnibus quærere valeat, amore proprio (qui semper et ubique ad se reflexus est, seipsum quærens) penitus extincto.

Thomas a Kempis († 1471) Parte 2ª Sermonum ad Novitios, Sermone 2. „Quoniam propter te mortificamur tota die" Ps. 43. O dilecti fratres, qui in Religione sub Obedientia statis: si fideliter impletis quod vovistis, Martyres estis, aut adhuc quotidie patiendo fieri potestis. Nam toties novas coronas et margaritas pretiosas pro certamine vestro accipietis: quoties singula membra vestri corporis, quotidianis laboribus pro Christo exponitis. Et si proprias voluntates relinquitis, et sensualitati verstræ fortiter resistitis, magnam a Deo consolationem intus percipietis. Omnis Religiosus in Obedientia vivens, paratus suam voluntatem frangere, atque Prælato suo humiliter nitens obedire: iste veraciter in spiritu Martyr efficitur, quamvis materiali gladio in collo non feriatur. Et quicumque perfecte mortificationi, tota die, id est, per totum tempus vitæ suæ, se tradit, simplici ex corde obediendo, exemplum Abrahæ imitatur, qui unicum dilectum filium suum

Isaac in Holocaustum offerre, ligare, et occidere non recusavit. Legimus etiam de Sanctis Martyribus, quod per diversa tormentorum genera transierunt ad Regna Cœlorum: Qui non elegerunt pro sua voluntate, qualem pœnam aut mortem paterentur: sed totaliter divinæ ordinationi se commiserunt, corpus et animam Creatori suo ad omnia sustinenda constanter obtulerunt.... Potest quilibet in ordine et statu suo, Religiose et devote vivendo, palmam Martyrii obtinere, si contra vitia sua fortiter certat; si pro adversantibus et detrahentibus orat; si castitatem illibatam strenue servat; si obedientiam usque ad mortem ad exemplum Christi custodit; si de omnibus terrenis et necessariis hujus vitæ semper minus, quam plus habere desiderat, et beneplacitum Dei in omnibus quærit, et suum velle relinquit. Sancta quippe voluntaria paupertas, pro Martyrio computatur: et ideo sicut Martyribus, ita et pauperibus, Regnum Cœlorum a Domino promissum est et datur (Quoniam ipsorum *est* (de præsenti) Regnum Cœlorum (Matth. 5).

Cajetanus († 1534) in II^{um} II^{æ}, q. 189, a. III, ad III. In responsione ad tertium ejusdem tertii articuli dubium occurit, An quis propria auctoritate possit votum peregrinationis Terræ Sanctæ commutari in votum Religionis: vel requiratur superioris arbitrium. Et est ratio dubii, quia Innocentius quem Panorm. sequitur in allegato in littera capitulo, dicit se credere, quod non requiritur superioris authoritas: tutius tamen est petere illam. Et sic quasi ambigua remanet quæstio. Ad hoc dicitur quod secundum authoris doctrinam, nullum dubium est in hac quæstione quoniam potest quilibet quodlibet suum votum in votum Religionis propria authoritate commutare: ita quod non peccat si ingressus Religionem habens multa vota, votum Religionis loco omnium emittat. Et sic omissis votis aliis Religionem ingreditur professurus post annum illum; ita quod commutatio in Professione, quod proprie est votum

Religionis, commutari intelligitur. Et ratio est, quia Professio sine ulla commutatione extinguit omnia præcedentia vota ergo a forciori, cum ex intentione quis in illam commutat vota sua, etc., et hoc manifeste sonant verba Decretalis dicentis: Qui temporale obsequium in perpetuam Religionis observantiam noscitur commutare. Ex eo enim quod commutare active attribuit illi, qui fecit votum, manifestatur, quod propria authoritate hoc facere potest. Et confirmatur, quoniam alioquin nihil dixisset illa Decretalis. Nam constat si temporale obsequium in aliud temporale authoritate superioris commutetur, non est reus fracti voti sic exequens. Ut ergo aliquid speciale dicat, oportet fateri, quod docet, quod omne suum votum temporale in Religionis Professionem potest quis commutare licite, etc.

In eadem responsione ad tertium dubium occurrit, An faciens Professionem Religionis in peccato mortali, consequatur post, quando ad cor redierit contritus, plenariam remissionem. Et est ratio dubii, quia hinc apparet, quod non, tum quia Professio nihil relinquit in anima, sicut Baptismus caracterem, quo medio suum postmodum consequatur effectum quia gratia Dei promissa in Professione nullibi constat quod danda sit extra Professionem, etc. In oppositum tamen est quia gratia ista conceditur tradenti se ex corde totaliter divinis obsequiis: sed hoc facit Religiosus cum contritus est post Professionem, tunc enim coram Deo in veritate profitetur: ergo tunc datur ei plena remissio. — Ad hoc dicitur, quod cum Professio sit totaliter opus hominis, ita quod non est ibi distinctum ab opere operantis opus operatum, quod sit opus Dei: quoniam esse Religiosum, quod est effectus Religionis, ut tunc opus humanum mortuum, sicut ipsa Professio mortua est, consequens est, quod in peccato mortali facta est opus mortuum totaliter, ac per hoc nunquam sortietur postmodum suum effectum. Et propterea, qui divinæ

gratiæ deest in actu Professionis suæ, privatur beneficio divinæ largitatis, quod creditur profitentibus dari. Unde consequentis contritionis tempore solum id assequitur, quod per præsentis contritionis propositum ac Sacramenti gratiam obtinere contingit. Et confirmatur hoc ex B. Antonii visione illa qua dæmones impedire ipsius conscensum in cœlum conantes, objecerunt peccata in sæculari vita commissa, et confutati sunt a sanctis Angelis dicentibus, Non debetis illa objicere, quæ Christi jam sunt pietate deleta: sed si qua scitis ex quo factus est Monachus, illa proferte. Unde patet, quod incipit liber novus de Actibus Religiosorum ex Parte Professionis, quando illa fit, et factus est Religiosus et non expectatur tempus futuræ postmodum contritionis ad plene cassandum præteritorum librum, et inchoandum quasi futuræ innocentiæ librum. Scribuntur enim in libro secundo omnia ex quo facti sumus Religiosi stylo ferreo, etc. – Ad primam objectionem in oppositum dicitur, quod tunc remoto obice sequitur effectus prioris causæ, quoniam causa prior remansit in aliquo reliquo effectu, ut Baptismus in caractere, et generans grave in forma illi da.... Quando autem causa prior nec in se, nec in suo mansit effectu, remoto impedimento nihil fit. Sic autem est in proposito, quoniam nihil in anima reliquit Professio mortua. Ad secundum vero dicitur, quod falsum est, quod quando conteritur primo post Professionem, tunc profiteatur coram Deo, quoniam coram Deo est professus: sed tunc in gratia Dei se esse Religiosum approbat, quod non est profiteri. (N. B. Et sic novum occurrit, Quid mereatur Professionis approbatio? Cui quæsito respondent S. Bernardinus et Dionysius, cum aliis infra dandis).

Emmanuel Sa († 1593) Aphorismi Confessariorum. v. Religio n. 17. Professio affert plenam peccatorum indulgentiam: itemque ingressus, secundum quosdam, animo perseverandi, et ut quidam ajunt, votorum renovatio. D.

Thomas 2. 2. q. 189, a. 3, ad 3. Cajet. 16. Sylv. 3. n. 23, si profitens scilicet sit in gratia: nam professus in m. p. non consequitur plenariam indulgentiam, neque ubi ad Deum redierit. (Ita in Editione Duacensi 1623).

Hieronymus Platus († 1591), De bono status Religiosi, l. I, c. XIII. Primus Religionis fructus integra remissio omnium peccatorum.

Dixi: ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus (Cant. 7). Ingressuri jam singulas Religionis utilitates, quæ longior pleniorque erit tractatio, hoc sapientis dictum in Canticis vere apteque usurpari posse videmur: si quidem palmæ typus Religioni congruit magnopereque consonat. Sic enim Gregorius quoque (19 Mora. cap 16) spiritualium hominum vitam huic arbori comparat, quia quemadmodum palma, ut ipse ait, inferius tactu aspera est, et quasi aridis corticibus obvoluta, superius vero et visu, et fructibus pulchra; inferius corticum suorum involutionibus angustatur, sed superius amplitudine pulchræ viriditatis expanditur; eodem modo vita famulorum Dei in eis quidem, quæ exteriora sunt et infima, despecta atque angusta videtur; in summo vero, id est, in anima, quæ in homine pars summa est, amplissimæ retributionis fiducia dilatatur. Hoc vero præcipue locum habet in Religione, in qua quod in oculos primum incurrit, est difficultas, ac rigor ille paupertatis, et quædam externa facies vilitatis, multis quasi laboribus atque ærumnis nodosa et aspera: sed tamen si interiores ejus opes inspiciamus, nulla suavior vita, nulla omnibus spiritualibus bonis plenior. Itaque, ascendamus nos quoque in hanc palmam, vel potius, quando jam ante, Deo propitio, ascendimus, apprehendamus ejus fructus, iisque non solum utendo sed etiam cogitando et commemorando perfruamur.

Est autem primus ille fructus, plena atque integra remissio, ac condonatio omnium omnino criminum et peccatorum, quæ in sæculari vita quocumque modo sint com-

missa. Sed hujus beneficii magnitudinem nemo æstimare poterit, nisi qui earum pœnarum magnitudinem intelligat et attendat, quæ, etiam peccatis Sacramentorum vi deletis, tamen adhuc luendæ restant: quarum pœnarum summa, et intolerabilis acerbitas ex tribus potissimum conflatur. Primum ex cruciatu ignis illius adeo acris, et adeo urentis, et urentis ipsam animam, quem Augustinus (Serm. 41 de Sanctis) duriorem esse ait, quam quidquid pœnarum possit in hoc sæculo aut videri, aut sentiri, aut etiam, quod est maximum, cogitari. Augetur deinde dolor ex desiderio videndi infiniti illius Boni, Cujus causa creati sumus; quod desiderium in anima, quæ jam corpore sit soluta, pene infinitum est. Tertium pœnarum genus est ipse suarum macularum aspectus, earumque fœditatum, quas culpa infixit, antequam flammis quasi exustæ purgentur. Atque horum etiam cruciatuum gravitas ex ipsa crescit multitudine peccatorum: quippe cum suppliciis illis non grandia tantum peccata, sed etiam minutissima quæque puniantur, quorum tantus numerus in nostram quotidianam vitam incurrit. Augustinus quidem multa hujusmodi commemorat, ut est necessitatis metas transire in cibo et potu, plus loqui, aut etiam plus tacere quam expediat, fastidire pauperem etiam importunum, tardius e somno surgere, infirmos vel carcere clausos segnius visitare, blandiri proximo, vel contra, eum severius appellare, adulari potentiori, temere suspicari, parcius eleemosynam tribuere. Denique quid plura? etiam verba otiosa loqui: quæ peccata omnia, si hic redempta non fuerint, illo igne purganda esse confirmat. Ex quo appareat, quantum esse necesse sit pœnarum cumulum, cum tantus sit peccatorum cumulus, tum aliorum, tum horum maxime quibus tota ferme vita sæcularis scatere solet. His igitur tormentis ac cruciatibus unico momento omnes liberamur, ut si tunc de hoc corpore migrari contingat, anima recto cursu evolatura sit in cœlum. Magnum prorsus beneficium,

vel potius maximum, maximique æstimandum. Nam si vel unum tantummodo delictum nostro studio, nostroque conatu a nobis redimendum esset, quæ lacrymæ, quæ jejunia, quæ verbera, qui cruciatus requirerentur? multo vero magis, cum ita accumulata sunt, ut solet negligens et otiosa vita accumulare.

Sane, ut notum est, sunt etiam aliæ viæ relaxandi has criminum pœnas, et præcipue indulgentia Pontificum, quibus hanc quoque potestatem Dominus tradidit. Sed tamen magnum est inter hæc duo discrimen. Etenim hæc Pontificia potestas, quamquam ea quidem amplissima est, quibusdam tamen terminis restringitur. Nam et causam aliquam existere oportet, et quidem justam, atque æqualem indulgentiæ, et deinde opus etiam aliquod injungi oportet aptum ad satisfaciendum, atque hoc etiam ejusmodi, ut proportione aliqua peccatis, quæ relaxantur, respondeat. itaque, si alterutrum desit, vel non valet indulgentia, vel tantum valet, quantum est pondus et illius causæ, et illius operis. Quæ, quoniam hominum judicio, atque æstimatione metienda sunt, facile, ut in rebus obscuris, fieri potest, ut vel tota labet indulgentia, vel certe ex parte, maxime cum in iis etiam operibus quæ injuncta sunt, exequendis, multum peccari possit negligentia et incuria. Non ita hæc remissio, quam Religiosus Status affert, utpote quæ non in hominum concessu fundata sit, sed ex ipsius facti natura promanet, quare et in omnibus, et semper, et eodem modo locum habere credendum est, ut Deus Dominus, quemadmodum ait Michæas propheta, miseratus nostri „deponat omnes iniquitates nostras, et projiciat in profundum maris omnia peccata nostra". Quamobrem etiam theologorum schola, qui ista exactius, ac subtilius perpendere solent, hoc tamen communi consensu recipiunt, ut hoc etiam inter amplissima Religionis privilegia numerandum sit. Ex quibus Antoninus, doctrina et sanctitate præcipuus hoc graviter

confirmat (p. 3. tit. 16, § 3), et pro ea sententia Paludani quoque affert auctoritatem (4 Dist. 38? q. 3). Idem etiam senserunt et scripserunt tum alii multi, tum præcipue B. Thomas (Sylv. ver. Relig. 3 dis. 23; Ang. num. 47; S. Thomas 2. 2. q. ult. art. 3 ad 3, 4 Sent. dist. 4. q. 3 ar. 3 q. 3 ad 3). Nam si, inquit, „ eleemosyna, ut ait Daniel, peccata redimit ", quanto magis ingressus in Religionem, quod genus voluntariæ pœnitentiæ non solum eleemosynam æquat, sed etiam longo intervallo excedit: et jure quidem: nam qui indigenti aurum, vel argentum erogat, id erogat, quod extra se est: quin etiam ex eo quod abundat, partem aliquam tribuit: Religiosus autem non partem, sed omnia, et insuper seipsum, itaque nulla est eleemosyna, aut munus cum hoc munere comparandum. Quin etiam idem divus Thomas alio loco hanc reddit hujus rei rationem, non ita hic remitti peccata, ut gratis relaxentur: sed ita, ut verissima, et maxima pro eis satisfactio reddatur. Nam cum voluntas, quæ, ut ille ait, carior est quam res omnes mundi, Deo donatur, et in Ejus servitutem redigitur, jam plene pro omnibus delictis præteritis satisfactum est, quoniam id datum est, quo nihil majus ab homine dari poterat. Idem asserit Waldensis gravis auctor, et confirmat testimonio sanctissimi viri, qui visione quadam se hoc edoctum ostendebat, cum narraret eamdem se gratiam vidisse demitti super vestimentum Monachi, cum Sanctum Habitum indueret, quam viderat super Baptisma. (De Sacrament. tit. 9. cap. 80).

Optime vero Anselmus in libro Similitudinum extremo (refertur etiam ab Anton. p. 3, tit. 16, c. 10, § 7), qui hoc etiam demonstrat exemplo Oberti Monachi. Hic enim cum de hac vita migrasset, non multo post apparuit de nocte Anselmo ipsi, narravitque ter se in illa suprema lucta a Satana oppugnatum gravissime, sed a quodam, qui sibi astabat, advocato strenue defensum: primum cum peccata ante Baptismum, quem adultus susciperat, perpe-

trata objiceret, cui cum advocatus ille responderet omnia Baptismo eluta esse, dæmon obmutuisse: iterum cum ea commemoraret, quæ in sæculo ante susceptam Religionem deliquerat; quod etiam refutasse, cum diceret, hæc quoque per Religiosæ vitæ Professionem condonata; demum cum malignus hostis omnes ejus negligentias, culpasque in Religione commissas attulissit, hunc contra respondisse, et pia aliorum operum exercitatione satis superque expiasse, illum victum confusumque abcessisse.

Simile etiam quiddam de magno Antonio commemorat Athanasius, quodam die circiter horam nonam raptum ab Angelis in sublime, cui cum occursantes dæmones summa vi obsisterent, quæsisse Angelos, quid in eum juris haberent: tum illis Antonii errata ab initio vitæ enumerare exorsis, impositum esse a bonis Angelis silentium, cum dicerent, non esse eorum renovandam mentionem quæ in sæculo commisisset, antequam Monachus fieret: quod si ab eo tempore aliquid haberent, id eis licere proferre: hæc vero cum nulla invenire potuissent, cessisse demum invitos, liberumque iter ad cœlum præbuisse.

Atque in Annalibus quoque Franciscanis legitur Christophorum quemdam sacerdotem ejus Ordinis religiosissimum, cum vehementius sollicitus esset de quibusdam commissis in sæculo, rogasse fratrem quemdam, qui sæpe sui custodis Angeli aspectu colloquioque fruebatur, ut de ea re ab ipso quæreret: Angelum autem quod ad illa attineret jussisse, ut bono ac securo esset animo, de reliquo vero studeret usque in finem perseverare, ut salvus esset.

Est enim jucundum et notabile omnino hoc in genere, quod Leontius Cyprius Episcopus, antiquus auditor, narrat in vita Simeonis Abbatis. Hic enim Simeon cum una cum Joanne, ejusdem uterque nobilitatis, in ipso ætatis flore, ad Monasterium venissent, ac die postera religioso Habitu induendi essent, quidam ex fratribus ita eis dixerunt (juvat enim ipsa ejus verba ponere, ut sunt simplicia

et nuda): Beati estis, quoniam cras regenerabimini et mundi efficiemini, sicut nati estis, ab omni peccato proinde ac si ipso die essetis baptizati. Quod illi audientes, admirati sunt ambo, et cucurrerunt ad divinum Niconem, Abbatem Monasterii, et ad ejus pedes prociderunt, dicentes: Rogamus te, pater, ne nos baptizes: sumus enim Christiani, et nati a parentibus Christianis.

Is autem, cum nesciret quidnam audissent a patribus Cœnobii, dixit eis: Quis enim vult vos, o filii, baptizare? Illi vero dixerunt: Domini nostri, patres Monasterii, dicunt nobis: Cras rebaptizabimini. Tunc intellexit Præfectus, eos dixisse de Sancto Habitu, et ait eis: Recte dixerunt, filii. Etenim, si Deo placuerit, volumus vos cras induere Sancto et Angelico Habitu.

Habemus etiam in hoc auctoritatem Hieronymi gravissimam, qui ob hanc causam Religiosum Statum ipsi Baptismo pene comparare non dubitat. Sic enim Paulam de Blasillæ filiæ obitu consolatur (Ep. 25). Revera, inquit, si sæculare desiderium, et, quod Deus a suis avertat, delicias hujus vitæ cogitantem mors immatura rapuisset, plangenda erat: nunc vero, cum propitio Christo, ante quatuor ferme menses, secundo quodammodo se Baptismo laverit, et ita deinceps vixerit, ut calcato mundo semper Monasterium cogitarit, non vereris ne tibi Salvator dicat, Irasceris, Paula, quia filia tua facta est filia mea? Eamdem vim habet etiam illa ejusdem Hieronymi cohortatio ad Demetriadem (Ep. 8).

Nunc, inquit, quia sæculum reliquisti, et secundo post Baptismum gradu inisti pactum cum adversario tuo, dicens ei, Renuntio tibi diabole, et sæculo tuo, et pompæ tuæ, et operibus tuis, serva fœdus quod pepigisti.

Apertissime autem Bernardus (De præc. et disp.) non solum id docet, sed duplicem etiam, a quibusdam de hoc ipso rogatus, causam affert.

Arbitror ob perfectam mundi abrenuntiationem, et

singularem excellentiam vitæ spiritualis, quæ præeminens universis vitæ humanæ generibus hujuscemodi conversatio professores, et amatores suos Angelis similes, dissimiles hominibus facit; immo divinam in homine reformat imaginem, configurans nos Christo, instar Baptismi.

Et quasi denique secundo baptizamur, dum per id, quod mortificamus membra nostra quæ sunt super terram, rursum Christum induimus, complantati denuo similitudini mortis ejus.

Sed et quomodo in Baptismo eruimur de potestate tenebrarum, et in regnum transferimur claritatis æternæ, ita et in sancti hujus secunda quadam regeneratione propositi, de tenebris atque non unius originalis, sed multorum actualium delictorum, in lumen virtutum evadimus, redaptantes nobis illud Apostoli, Nox præcessit, dies autem approqinquavit. Hæc Bernardus.

Possumus autem hæc omnia firmissimo argumento concludere.

Nam si quis rationem quærat cur Baptismus culpas omnes præteritas deleat, illa est, quia in eo hoc agitur, ut omnino moriamur vitæ veteri, et renascamur novæ. Id enim est, quod a Paulo Apostolo omnibus locis prædicatur, cum modo nos mortuos, modo Christo consepultos ac cum Eodem etiam convivificatos appellat, vitamque nostram cum Ipso absconditam (Rom. 6, Ephes. 2, Colos. 3). Itaque si recte reputemus, non idem homo e Baptismo emergit, qui in eum ingressus erat, sed plane alius. Prior enim ille mortuus est et cæpit alius.

Ex quo etiam sequitur, ut prioris illius hominis peccata non magis huic homini recens nato tribuenda sint, quam mea alteri, vel alterius mihi. Hoc igitur idem evenit etiam in Religione. Morimur enim mundo, ejusque operibus, et nobis insuper ipsis ac voluntati nostræ, et ita morimur, ut non magis liceat nobis mundo, ejusque

præmiis vel voluntate nostra uti, quam si plane sepulti essemus.

Quare cum Religiosi quoque, sicut in Baptismo, desinant esse quod ante fuerunt, et novi quidam homines esse incipiant, novis studiis, nova vita, aliisque omnino delectationibus, et cogitationibus, et fine : nil mirum si culparum pœnæ, quas vetus ille homo debebat, una cum ipso homine moriantur, et obliterentur, nec jam ad secundum hunc hominem pertineant (1).

Quod quidem recte si consideremus, quantum est beneficium, et quantam animo jucunditatem, ac tranquillitatem affert, depulsis iis angoribus, quos præteritorum criminum conscientia afferre solet.

Eunt aliqui in longinquas regiones, votivas suscipiunt peregrinationes. Hierosolymam, Romam, Compostellam, caputque suum ingentibus periculis maris ac terræ objiciunt, ut eam, de qua supra diximus, peccatorum indulgentiam assequantur. Recte id quidem ac pie : sed tamen ea pietas multa habet admixta incommoda idque in primis, quod non modo non devotionem, fervoremque spiritus plerumque auget, sed potius imo itineris labore ac molestia imminuit, sæpe etiam novorum peccatorum occasionem ingerit. Hæc vero indulgentia et simul ingentem præstat sanctitatis occasionem, et præterea, ut supra diximus, non est limitata hominum potestate, sed ex Dei voluntate, atque ex ipsius operis præstantia promanat, ut sane ita cogitare liceat unicuique Religioso, se quoque ex Domini ore lætissimam illam vocem audire: Remittuntur tibi peccata tua, vade in pace (Luc. 5). (Ita editio data Augustæ Trevirorum anno 1612).

Diez Philippus, Lustianus Ord. Min. Regul. Observantiæ, Summa prædicatium (Venetiis 1595), Tom. 2, Pro

(1) Mutationem conditionis per vota Religionis exponit D. Thomas Opusc. de Perfectione vitæ spir. c. 17. — Cfr. infra Parte 4, Sect. 3 in fine et Sect, 3, B. I.

Monachi Professione exhortatio septima, p. 152. — Holocausta medullata offeram tibi, inquit regius vates (Ps. 65) cum Deo loquens. In lege veteri offerebantur oblationes, quæ appellabantur sacrificia, et qædam pars illorum comburebatur, altera vero remanebat iis qui ea offerebant. Aliæ vero erant oblationes, quæ vocabantur holocausta, et ista comburebantur omnia, et nihil ex eis remanebat: atque ita holocaustum idem est, quod totum incendium. Sic modo in lege gratiæ duæ sunt differentiæ Statuum, in quibus homines altissimo Deo se offerre possunt. Alter est Status secularis, in quo post Baptismum servatis Dei præceptis homines salvari possunt, et hos dicere possumus offerre sacrificium, siquidem sibi aliquid relinquunt et aliquid pauperibus elargiuntur, suaque propria voluntate fruuntur. Alter Status est Religiosorum, qui mundo renuntiant, et seipsos Deo in holocaustum offerunt, nihil sibi relinquentes, sed totos seipsos in amoris igne inflammantes. Nam præter observantiam evangelicam, tria sacra vota videlicet obedientiæ, paupertatis, et castitatis promittunt. In Levitico (16) jubebat Dominus, ut sibi offerrentur animalia extra castra, atque ibi comburerentur, non utcumque, sed ut comburerentur igne tam pelles, quam carnes eorum, ac fimus. Ita ut homo se totum Deo dedisset, et in Eum se convertat oportet, ut prius se inflammet et consumat, et nihil ex eo remaneat. Non potest esse nova generatio, quin sit corruptio: non enim possibile est, naturaliter loquendo, ignem produci, quin prius alia materia corrumpatur. Sic non est possibile hominem generari secundum Deum, quin ipse homo prius corrumpatur secundum mundum. Debet igitur offerre Deo pellem, videlicet divitias, et carnem interiorem, hoc est, propriam voluntatem, et ventrem cum omnibus suis immunditiis hoc est, voluptates carnales, pudendas, et ignominiosas. Et hoc est holocaustum, quod Religiosus Deo offert, cum videlicet totum seipsum absque eo, quod aliquid sibi relinquat,

offerre contendit: contrarium autem non est Religio, sed hypocrisis. Verumtamen ut hoc sacrificium plene adimpleatur, oportet, ut fiat extra castra: etenim non potest homo convenienter statum mutare, et actus Religionis exercere, si in mundo inter seculares remanet. In Exodo (18) refert Sacra Scriptura, impium Pharaonem vocasse Sanctos Moysem et Aaron, eisque dixisse: Ite, et sacrificate Deo vestro in terra hac. Et ait Moyses: non potest fieri: abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Deo nostro: quia si mactaverimus ea, quæ colunt Ægyptii, coram eis, lapidibus nos obruent. Ratio, propter quam Hebræi in Ægypto sacrificare non poterant, redditur a S. Moyse his verbis. Nam per verbum illud, abominationes, intelligebat S. Propheta figuras animalium, quæ Ægyptii, ut Deos venerabantur...

Profunda equidem sunt divinæ Scripturæ mysteria, et altissimæ considerationes quæ ex ea possumus educere. Verum sacrificium, quod vero Deo offerendum est, non debet esse de mortuis animalibus, sed homo seipsum in sacrificium offerre debet, omnia hujus mundi contemnens, et pro Ipso Deo omnibus renuntians, divitias videlicet per votum paupertatis spernens, honorem, æstimationem, ac libertatem per votum obedientiæ, voluptates, ac delicias mundi per votum continentiæ. Hæ sunt abominationes Ægyptiorum, quas mundus adorat, et velut Deum veneratur,... et ideo oportet, ut in solitudinem Religionis se consecret,... ne in sæculo remanentem, ipse mundus lapidibus obruet.

Lessius († 1623). De justitia et jure, libro 2, cap. 41, Dub. 8, n. 72. Sexto, Professio solvit vota simplicia priora, etiam Religionis strictioris ingrediendæ, eaque commutat in vota solemnia Religionis illius in qua agitur; cap. Scripturæ. 4. de voto, et cap. Qui post votum. 5. de Regularibus, in 6. Simili modo matrimonium dissolvit sponsalia etiam jurata. vide supra cap. 40 dub. 16 n. 106. — Septimo, Delet omnia

peccata. Ita D. Thomas q. 189 a. 3 ad 3 et Cajet. ibidem: Antoninus 3 p. tit. 16 c. 3 § 3 ubi pro eadem sententia affert Paludanum in 4 Dist. 38. quæst. 4 art. 1; Thomas Waldensis de Sacramentis tit. 9. cap. 80: Angelus v. Religiosus, n. 47 et alii Summistæ. Vide Hieronymum Platum lib. 1. de bono Status Religiosi, cap. 13, ubi hoc eleganter explicat et confirmat. Sed hoc intelligendum de reatu pœnæ, quæ remissa culpa manet: culpa enim præsertim mortifera, non remittitur nisi per contritionem vel usum Sacramenti. Ratio est, tum quia per Professionem vetus homo et veteres mores exuuntur, (saltem proposito et Statu ipso) et induuntur novi: unde censetur mors quædam vitæ mundanæ: tum quia se suaque omnia divino obsequio mancipat et obstringit. hujusmodi beneficio dignus est. Hinc Patres susceptionem Habitus Monastici solent comparare Baptismo. Hieronymus epist. 8 et 25: Leontius in vita Simeonis Abbatis; Anselmus lib. de Similitudinibus cap. ult.: Bernardus lib. de Præcepto et dispensatione; quorum testimonia refert Platus, ex quibus etiam colligas, Professionem habere hanc vim quasi ex opere operato, sicut Martyrium, si nullus ponatur obex. — Octavo, Tollit irregularitatem, quæ est ex defectu natalium, cap. 1. de filiis presbyterorum et cap. 1, d. 56, cœteras autem Jure communi non tollit: quia Jure non est expressum, ut docet Abbas in cap. Ex litterarum, de Apostatis; aliæ vero tolluntur specialibus variorum Ordinum privilegiis. Unde falluntur qui putant tolli irregularitatem, quæ est ex homicidio, vel bigamia, ut bene notat Navarrus comment. 2 de Regul. n. 60. Nec obstat Authen. de Monachis, ubi significatur, ut quidam dicunt, omnem irregularitatem Religionis ingressu tolli: quia non loquitur de irregularitate, sed de peccatis: ait enim, vitam Monasticam ita hominem conjungere Deo et appropriare, ut omnem humanam labem abradat et purum reddat, ut patet ex textu Græco, utenti verbis quæ apud Græcos designant peccata, et peccatorum

sordes non irregularitatem. Adde, irregularitatem quæ est ex defectu natalium, non penitus tolli per Professionem (quia talis non potest eligi ad Prælaturam; ut ad Abbatiam virorum vel feminarum, nec ad beneficium habens curam animarum); sed solum ex parte, ut possit ordinari, et beneficium simplex obtinere, ut recte Navarrus supra, ex cap. 1. de filiis presbyterorum.

PARS TERTIA.

Documenta a Lutheranis ad præsentem diem. A sæculi 16i fine.

INTER innumeros Ordinis Monastici hostes, Joannes Wicleffus et Lutherani primi cœperunt Religiones, ut malas, vituperare; ut testatur Bellarminus, quinta Controversia generali libro 2, de Monachis cap. VIII, ubi præcipuos ipsorum doctores recenset. Lutheri asseclas violentia et calumniis suis in Monasticam vitam impetum fecisse, quis mirari posset? Hæc est enim indoles omnium Ecclesiæ hostium, quidquid in hujus sanctæ Matris decus et commodum redundat, perpetuo odio prosequi. Ut autem cæteris atrocius Ordini Monastico bellum indicerent, speciali ardore inflammari decebat quotquot Monachi apostatæ, cum Moniali sacrilegum Matrimonium attentantis, partes suscipiendas æstimarunt.

Ast, quod nequitiæ spiritus in ruinam paraverat, hoc ipsum etiam hac vice substantialis Dei Bonitas in ædificationem vertere dignata est. Tot tantosque in variis Ecclesiæ provinciis doctores divina Providentia suscitavit, ut non tantum ab injustis impugnationibus veritatem vindicarent, sed etiam majori adhuc lumine eamdem illustrarent. In veritate catholica vindicanda ita, teste P. Schouppe (Dogm.), præcelluit Card. Bellarminus, ut ejusdem Controversiarum opus adhuc tanquam validissimum fidei armamentorium consistat, nec unquam defecturus sit. Hunc ergo vindicem proferre sufficiat, ut deinde, quod magis ad præsentem scopum facit, nonnulli ex præcipuis veritatis illustratoribus in medium adducantur.

Bellarminus († 1621). V^ta^ Contr^ia^ Gener., lib. II de Monachis, c. VI. Philippus Melanchton... Quinto dicit nos

asserere vitam Monasticam mereri justificationem, et remissionem peccatorum, et applicatam aliis eos salvare, et longe meliorem esse ipso Baptismo. At hæc mera calumnia est, nulli enim Catholici ita docuerunt unquam. Dicimus quidem opera Religionis, id est, caste vivere, nihil proprii retinere, obedire majoribus, bona esse opera, et meritoria vitæ æternæ si a justis fiant, et conducere ad satisfactionem pro peccatis, sicut cætera omnia bona opera; at mereri justificationem nullus dicit. Dicimus etiam posse Religiosos facere alios homines participes suorum bonorum operum, ut possunt omnes alii fideles; est enim communicatio inter membra ejusdem corporis: at posse Monachum salvare alios suis operibus, id est, mereri illis gratiam, vel gloriam, nemo Catholicus dixit unquam. Denique dicimus, inter Baptismum et Professionem Religionis esse quamdam similitudinem; quod sicut in Baptismo renuntiamus Diabolo, et incipimus novam vitam, ita per Professionem Religionis renuntiamus sæculo et multis licitis voluptatibus, et incipimus novam vitam; et sicut in Baptismo remittuntur perfecte omnia peccata quoad culpam et pœnam, ita in Professione Religiosa, quando debita intentione suscipitur, pie creditur remitti omnis pœna temporalis, pro qua alioquin satisfaciendum esset, etiam culpa remissa; non tamen propterea anteponimus, vel æquamus Baptismo Professionem Monasticam; Baptismus enim non solam pœnam, sed etiam culpam tollit, idque certo scimus; Professio autem Monastica non tollit culpam, sed solam pœnam, et hoc ipsum non certo asserimus, sed pie credimus, neque est hoc nostrum inventum. Nam imprimis testatur Athanasius in vita Antonii, beatum Antonium in visione audivisse sanctos Angelos dicentes, omnia peccata sibi remissa fuisse, quando Monasticam vitam suscepit. Beatus Hieronymus in epistola vicesima quinta de obitu Blesillæ: Cum, inquit, propitio Christo ante quatuor ferme menses secundo quo-

dammodo se propositi Baptismo laverit, et ita deinceps vixerit, ut calcato mundo semper Monasterium cogitaverit. Beatus Bernardus lib. de Præcepto et dispensatione, non procul a fine: Audire, inquit, et hoc vultis a me.... denuo similitudini mortis ejus, etc. (vide supra p. 35). Et Sermone 30 in Cantica, laborem Monasticum Martyrii genus esse dicit: nemo autem ignorat Martyrium genus esse Baptismi. Denique etiam B. Thomas 2. 2. q. ult. art. 3 docet recte credi per Professionem satisfieri pro omnibus peccatis, et esse hanc Professionem alterum Baptisma.

Bellarminus, Judicium de libro Concordiæ Lutheranorum. XXII Mendacium. Ibidem sic ajunt: Docebant vota paria esse Baptismo; docebant se hoc vitæ genere mereri remissionem peccatorum et justificationem coram Deo. Et infra: Ita persuadebant vitam Monasticam esse meliorem Baptismo. Et addit Philippus in Apologia p. 250: Docebant, applicata aliis, alios salvare. At quis catholicorum unquam ita docuit? Dicimus quidem opera Religionis, id est, caste vivere, nihil proprii possidere, obedire majoribus, opera esse bona, et meritoria vitæ æternæ, si a justis fiant, et conducere, ad satisfaciendum pro peccatis, sicut cætera omnia bona: at mereri justificationem illam qua ex impiis efficimur justi, nullus Catholicorum docet. Scimus enim non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed propter magnam Dei misericordiam, justos fieri quotquot vere justificantur. Addimus vero, posse Monachos facere alios homines operum suorum bonorum participes, ut possunt omnes alii fideles, cum sit communicatio inter membra ejusdem corporis. At quod possit Monachus suis operibus alios salvos facere, merendo eis gratiam et gloriam, mera calumnia est, nemo nostrum dicit. Denique non negamus, inter Baptismum et Monachatum esse quamdam similitudinem: quod sicut in Baptismo remittitur omnis pœna peccatis debita: ita quoque in susceptione vitæ Monasticæ fieri credibile est. At non continuo ante-

ponimus Monachatum Baptismo. Baptismus enim, et culpam, et pœnam remittit, et hominem de impio facit pium, et de filio diaboli filium Dei; Professio vero Monastica, solam pœnam remittit, quæ post remissam culpam aliquando remanet. Neque hæc est solius S. Thomæ doctrina (ut Philippus existimat) sed etiam veterum SS. Patrum. Scribit S. Athanasius, in vita B. Antonii, Angelicam vocem aliquando auditam, quæ testaretur, D. Antonio omnia peccata dimissa, cum per vitam Monasticam sæculo renuntiavit. Sanctus quoque Hieronymus in epistola 25 de obitu Blesillæ: Cum, inquit, propitio Christo ante quatuor ferme menses, secundo quodammodo se propositi Baptismo laverit, et ita deinceps vixerit, ut calcato mundo, semper Monachatum cogitaverit, etc. S. Bernardus libro de Præcepto et dispensatione, non procul a fine: Audire, inquit, et hoc vultis a me... similitudini mortis ejus (vide supra p. 35.) Hæc S. Bernardus cujus testimonium Philippus rejicere non deberet, cum in Apologia eum, tum inter sanctos viros numeret, tum ejus testimonia tanquam gravissima, pro se adducat. Illud tamen non est prætereundum, nec S. Bernardum, nec S. Thomam, nec ullum Catholicorum vitam Monasticam Baptismo anteposuisse, quod tamen Philippus Catholicis attribuit.

Rosweydus Heribertus († 1629) S. I., in Vitis Patrum, in nota ad visionem S. Antonii: Ex hoc loco Bellarminus tomo IV in Judicio de libro Concordiæ Lutheranorum, mendacio XXII, colligit aliquam inter Baptismum et Monachorum Religionem esse similitudinem: quod sicut in Baptismo remittitur omnis pœna peccatis debita, ita quoque in susceptione vitæ Monasticæ fieri credibile est, quod sane et sanctorum Patrum testimoniis, et sanctorum virorum exemplis et scholasticorum doctrina egregie firmatur. Et quidem ad Patrum auctoritatem quod attinet, Hieronymus epist. 25 ita Paulam de obitu Blesillæ filiæ solatur: Revera... filia mea. (Vide supra p. 17). Eamdem vim habet

etiam illa ejusdem Hieronymi cohortatio ad Demetriadem, epist. 8: Nunc... pepigisti. (Vide supra pag. 17). S. Bernardus libro de præcepto et dispensatione, non procul a fine, non solum id docet, sed duplicem etiam a quibusdam de hoc ipso rogatus causam adfert: Audire... appropinquavit. (Vide supra pag. 35). Atque hæc ex sanctis Patribus nunc sufficiant. Non desunt quoque sanctorum visiones. Infra apud Joannem subdiaconum, libello primo de contempl. n. 9. Fuit quidam... spiritualem. (Vide supra p. 24). Leontius Neapoleos insulæ Cypri Episcopus in vita Symeonis Sali apud Metaphrasten I Julii narrat quomodo Symeon et Joannes sancto Habitu velut regenerandi erant; et quantam ipsi primis septem diebus in sic regenerato gloriam viderint. (Vide supra pag. 18). S. Anselmus libro de Similitudinibus, cap. 191, narrat de Osberno Monacho, quomodo cum in extremis Angelus contra diabolum peccata ante ingressum Religionis commissa objicientem defenderit, quod ea „fuerant Professione Monastica abolita" (Vide supra pag. 30). Vide et Annales Fransciscanorum de Christophoro, et Angeli responsione. Inter Scholasticos consulendus D. Thomas 2. 2. q. 189, a. 3, ad 3; et in IV Sent. dist. 4, q. 3, quæstiuncula 3, ad 3; ubi quod ex Vitis Patrum utrobique exemplum non assignato loco citat, est illud ipsum quod jam ex Joanne subdiacono produxi, quod etiam producit Thomas Waldensis Tomo 3. de Sacrament. Tit. 9, cap. 80, quem vide egregie de hac re disserentem. (Vide supra p. 82). Vide et Antoninum Summæ Parte 3, Tit. 16, cap. 3, § III; et Paludanum in 4, dist. 38, q. 3; Silvest. verb. Religio, dub. 23; et Platum nostrum lib. 1, de bono Status Religionis, c. 13. Quid nunc habent hæretici, quod tantorum Patrum auctoritati, quod testatissimis historiis, quod Scholasticorum receptissimæ doctrinæ opponant? Quod autem Philippus Melanchton in Lib. Concordiæ Lutheranorum affirmat, docere Catholicos, Monasticam vitam esse meliorem Baptismo, mendacium et quidem spissum est.

Suarez († 1617) De Religione, Tom. III, lib. II, c. XIII: De privilegiis Professionis Religiosæ (1). 4. Ex divino autem jure potest Professioni attribui effectus obtinendi remissionem totius culpæ et pœnæ, quasi ex opere operato; hunc enim effectum videtur illi tribuere d. Thomas q. 189, a. 3 ad 3, ubi cum formidine ajit : Rationabiliter dici potest, quod per ingressum Religionis aliquis consequatur remissionem omnium peccatorum ; unde (subdit inferius) legitur in Vitis Patrum, quod eamdem gratiam consequuntur Religionem intrantes, quam consequuntur baptizati. Unde Bellarminus lib. 2. de Monach. c.VI, inquit hoc non esse certum, sed pie credi, et ad id confirmandum adducit congrua testimonia Athan., Hieronym., et Bernar. — Navar. etiam, in Comment. 2, de Regul., n. 60 ait Professionem indulgentiam plenariam operari. Consentire videntur communiter Theologi ac Summistæ de hac remissione et condonatione generatim loquendo. D. Anton., p. 3, c. 3; Palud., in 4, quæstione 3; Angelus, v. Religiosus, n. 46; Sylvest., Relig, 3, q. 23; Bernard-Senens., allegatus ab Angelo supra; Hieron. Platus, de bono Statu Relig., c. 13; Waldens., de Sacrament., tit. 9, c. 80; Azor, lib 12 Instit. moral., c. 5, q. 21 ; Emman. Sa, v. Religio, n. 17; Less., lib. 2, c. 41, dubit. 8, n. 72, et alii. — 5. Verumtamen nullus ex prædictis auctoribus absolute æquiparat Professionem Baptismo, vel Martyrio, in hoc, quod aliquando ex opere operato, vel ex speciali privilegio primam gratiam conferat,

(1) Suarez nº 4 refert sententiam illorum qui ex divino jure posse Professioni attribui effectum obtinendi remissionem totius culpæ et pœnæ tenent — nº 5 probat mentem illorum toto Cœlo abesse ab errore quo ex speciali privilegio prima etiam gratia sic conferri crederetur — nº 6 quid ergo intenderint indicato, istam sententiam ut piam sed non nisi ut probabilem tantum admittendam esse ostendit, verum D. Thomæ sensum de opere operantis excellentia explicando — nº 7 probat hanc ultimam sententiam Religiosum Statum magis extellore, nec aliud ex SS. Patribus colligi posse — nº 8 tandem concludit hac posteriori sententia favorem Religiosæ Professioni sufficienter, imo melius conciliari.

vel faciat ex attrito contritum; imo Bellarminus in hoc expresse ponit differentiam inter Baptismum et Professionem, quod Baptismus tollit culpam et pœnam, Professio autem non tollit culpam, sed pœnam. Et Navarrus cum limitatione locutus est dicens: Professio Regularis facta cum debita contritione indulgentiam plenariam operatur. Cajetanus etiam, circa dictam solutionem ad tertium, pro certo habet eum, qui facit Professionem in peccato mortali, non solum non consequi tunc remissionem culpæ et pœnæ, verum etiam quando postea conteritur, nullam remissionem pœnæ consequi ratione præcedentis Professionis, quæ opus mortuum fuit, et sic ferme loquuntur cœteri. D. Thomas vero aperte loquitur de satisfactione pro peccatis, et de absolutione a reatu pœnæ, non culpæ. Quapropter temerarium censerem hunc effectum tribuere Professioni; est enim res gravissima, et valde supernaturalis, quam sine Revelatione, traditione Ecclesiæ ac Patrum doctrina asserere temerarium est. Maxime cum hoc privilegium necessarium non sit, cum nec Professio sit Sacramentum habens vim ex opere operato, nec, per se loquendo, instet necessitas articuli mortis, neque finiatur vitæ tempus ad agendam pœnitentiam concessum, sicut finitur per Martyrium, sed potius ibi quodammodo inchoatur Status ad pœnitentiam agendam aptissimus. — 6. Solum ergo docent prædicti auctores hanc gratiam esse divinitus concessam Professioni, ut si quis illam emittat in statu gratiæ, ei remittatur totus reatus pœnæ temporalis ex Dei liberalitate, vel quasi gratitudine, etiamsi ipse alias non reddat satisfactionem condignam illi reatui. Quam assertionem piam esse fateor et probabilem, propter auctoritatem tantorum doctorum, et quia cedit in favorem Religionis, et quia congruum videtur ut Deus ea liberalitate utatur cum amico, qui se Illi totum tradit. Fateor tamen me non videre probationem satis cogentem. Nam D. Thomas nullam mentionem privilegii aut divinæ liberalitatis

facit, sed in excellentia illius operis effectum hunc fundare conatur : Rationabiliter autem dici potest, quod etiam per ingressum Religionis aliquis consequatur remissionem omnium peccatorum : si enim aliquibus eleemosynis factis homo statim potest satisfacere de peccatis suis, multo magis in satisfactionem pro omnibus peccatis sufficit, quod aliquis se totaliter divinis obsequiis mancipet per Religionis ingressum ; quæ excedit omne genus satisfactionis, etiam publicæ pœnitentiæ, sicut holocaustum excedit sacrificium. Ex quo verborum discursu constat D. Thomam sensisse non ex privilegio, sed ex virtute talis operis ad satisfaciendum hanc integram remissionem comparari, et virtute facit hanc rationem : Per magnam eleemosynam, vel per aliquam pœnitentiam publicam solent homines justi condigne satisfacere pro suis peccatis, ita ut totus reatus statim eis remittatur ; ergo multo magis id poterunt per Professionem Religionis. Quæ quidem illatio est per se probabilis ex genere talis operis ; tamen, quia illud opus potest esse magis vel minus satisfactorium, juxta affectum et dispositionem Profitentis, et peccata præterita possunt postea esse plura vel pauciora, ideo illatio non est evidens, et ob eam causam dixit D. Thomas : Rationabiliter dici potest ; atque ita non ponit hanc tanquam certam regulam ex aliqua promissione Dei, ideoque subjungit : Si tamen non absolverentur per hoc ab omni reatu pœnæ, nihilominus utilior est Professio Religionis, quam peregrinatio Terræ Sanctæ, etc. Itaque mens ejus fuisse videtur tale esse, tamque excellens hoc opus, ut quamvis ordinario modo ex bono affectu charitatis, etiam sine extraordinario fervore fiat, ad satisfactionem pro omnibus peccatis regulariter sufficiat, nisi illa sint magna et multa, et pœnitentia de illis parva, modusque profitendi valde remissus. Sed quia hæc omnia raro concurrunt, ideo moraliter dictus effectus Professioni attribui potest. Atque ita seipsum explicuit D. Thomas, in 4, dist.

4, q. 3, a 3, q. 3 ad 3; et Navar., comment., de indulgentiis, in § In Leviticum, notab. 20, n. 17. — 7. Atque hoc videtur mihi magis extollere ac commendare Religiosum Statum, et Professionem ejus, quia non extrinseco privilegio incerto, sed certæ perfectioni et excellentiæ talis operis effectus ille tribuitur. Neque etiam ex sanctis Patribus amplius colligi videtur; Athanasius enim in Vita Antonii, solum refert Antonium, tempore mortis, audivisse sanctos Angelos dicentes omnia peccata sibi fuisse remissa, quando Monasticam vitam professus est: ex quo non potest colligi speciale privilegium, tum quia ibi magis agebatur de remissione culparum quam pœnarum; vel, si de tota remissione intelligatur, sicut prior intelligitur comparata non ex privilegio, sed per dispositionem proportionatam, ita et posterior per condignam satisfactionem: tum etiam quia, si in aliquo potuit Professio habere hunc effectum modo a nobis declarato, maxime in Antonio, in quo peccata vitæ superioris leviora erant, et fervor conversionis maximus. Hieronymus autem, epistola 25, de Blasilla solum dicit: Cum propitio Christo ante quatuor ferme menses secundo quodammodo se Baptismo laverit, et ita deinceps vixerit, ut calcato mundo semper Monasterium cogitaret. Ex quibus verbis solum colligi potest ingressum Monasterii, cujus propositum Blasilla habebat, Baptismo a Hieronymo comparari, et ideo secundum Baptismum illum appellare. Cujus simile refert D. Thomas ex Vitis Patrum, sed non oportet comparationem fieri per similitudinem æqualitatis, alioquin tribuendum esse Professioni, quod faceret etiam ex attrito contritum, sed per quamdam proportionem, ad quam sufficit prædictus effectus dicto modo explicatus. Unde D. Bernardus, lib. de Præcepto et dispens., interrogatus cur Monasterialis disciplina secundum Baptismum nuncupetur, respondet: Arbitror ob perfectam mundi abrenuntiationem, ac singularem excellentiam vitæ spiritualis, quæ præeminet universis

vitæ humanæ generibus. Hujuscemodi conversatio professores et amatores suos Angelis similes et dissimiles hominibus facit, imo divinam in homine reformat imaginem, configurans nos Christo instar Baptismi, et quasi denique secundo baptizamur, dum per id quod mortificamus membra nostra, quæ sunt super terram, Christum induimus, complantati similitudini mortis Ejus. In quibus verbis imprimis videtur comparationem illam attribuere non solum Professioni, sed observationi ejus, et toti vitæ Religiosæ, quam alibi Martyrio comparavit; et deinde si ipsi Professioni aliquid in hoc negotio tribuit, non illud fundat in privilegio, vel promissione aliqua Dei, sed in ipsius operis excellentia. — 8. Præterea non videtur amplius necessarium ad favorem Religiosæ Professionis, cum et ipsa habeat proportionem ad prædictam satisfactionem, quod melius est, ut dixi, et præterea quodammodo obliget hominem ratione Status ad majorem in dies satisfactionem exhibendam pro peccatis præteritis ratione Status suscepti. Unde et tali operi et Statui magis accommodata ratio providentiæ videtur, ut Religiosi pro peccatis præteritis, vel in ipsa Professione, vel si tunc remissi fuerint, post illam pro peccatis præteritis condigne satisfaciant. Hæc autem dixerim, non ut priorem sententiam simpliciter rejiciam, neque ut piam existimationem aut devotionem erga Professionem Religiosam imminuam, sed ut certa ab incertis distinguam, et Religiosos admoneam, ne spe illius liberalitatis incertæ, certam satisfactionem pro peccatis omittant. Addendum vero est ex concessione Summorum Pontificum, aliquibus Religionibus concessum esse ut omnes personæ, quæ in eis recipiuntur, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam in ipso ingressu, et iterum in morte consequantur, sicut conceditur Religiosis Societatis Jesu, ut habetur in compendio privilegiorum ejusdem Societatis, verbo Indulgentia § 4, qua cæteri Mendicantes fruuntur.

Sanchez († 1619) In Decal., Tom II, lib. V, c. V. Quibus

privilegiis gaudeat Religionis Professio. 1. Plurimæ solemnis Professionis prærogativæ a Doctoribus enumerantur, quæ in præsenti discutiendæ sunt. Prima est, per illam obtinetur plenissima omnium peccatorum condonatio. Hanc negat Felinus in serm. de quodam de Indulgentiis col. 5, vers., Et advertendum est, dicitque contrariam communem sententiam defendi non posse: quod nulla extat hujus Indulgentiæ Pontificia concessio. Sed hujus rationis solutio constabit ex dicendis n. 6. Alii dicunt Profitentem consequi hanc plenissimam condonationem, cum ea tamen conditione, ut supervivens curet pro præteritis culpis satisfacere. Quare si statim obeat, illam plene consequetur, non autem si supervivens sit negligens in satisfactione. Ducitur cedentis bonis similitudine, qui restitutionis onere liberatur, dum solvendo non est: nec ob ea debita potest in carcerem detrudi. At si bona comparet, quibus solvendo sit, tenebitur solvere. Sic Profitens, cum omnibus renuntiet, liberatur pœnis omnibus debitis, si, morte præventus, non fuerit solvendo; at si supervivat, cum tunc solvendo sit, non liber evadet, nisi satisfacere curet. Secundo ducitur aliquibus revelationibus Religiosorum pœnas in purgatorio patientium, ob delicta in sœculo commissa. Atque ita docent Paludan. 4, d. 4, q. 3, ar. 3, n. 13 et 14, D. Antonin. p. 3. tit. 16, c. 3, § 3. Sed hæc sententia consistere nequit. Quippe plena satisfactio debet statim suum effectum consequi, nec ex futuro eventu pendere potest. Nec est simile de bonorum cessione, eo quod alia non sit debitorum satisfactio, sed temporalis excusatio ab eorum solutione. Nec eæ revelationes quidquam conferunt: tum quia non sunt certæ, tum etiam quia potuit illorum Professio hac prærogativa defraudari, eo quod in peccato mortali sit facta, juxta ea quæ n. 4 dicemus (1). — 2. Et ideo verissi-

(1) Vel, juxta Suarez supra n. 6, eo quod, pro multis gravibusque peccatis, magna, ob parvam de illis pœnitentiam, ab ipsis solvenda relinquebatur satisfactio, ad quam resarciendam impar fuerit Profitendi modus valde remissus.

ma sententia est per Religionis Professionem obtineri plenissimam omnium criminum antea commissorum condonationem. Atque ita aperte colligitur ex Sanctorum doctrina. Quippe ideo Sancti, ut D. Hieronymus, epist. 8 et 25, et D. Bernardus, lib. de Præcepto et disp. ad fin., appellant Professionem secundum Baptisma. Sicut enim hoc omnes præteritas culpas delet, ita et illa. Et ita fuit apud veteres illos Monachos communi consensu et traditione receptum: atque variis revelationibus comprobatum, quas referunt D. Athanasius in D. Antonii vita, D. Anselmus in lib. de Similitudinibus c. ult., Leontius Cyprius Episc., in Symeonis Abbatis vita. Insuper probatur ex c. Quis aliquando, § His auctoritatibus, de pœnitentia, d. 1, ubi traditur, nullam præteritorum criminum satisfactionem ingredienti Religionem imponendam: quod totum residuum vitæ tempus Deo dedicet. Per quem textum ita docet ibi glossa v. Totum, et c. Scripturæ, v. Temporale, de voto, et ita c. Admonere 33, q. 2. Astulpho pœnitentia publica remittitur, si velit Monasterium ingredi. Quod idem cognovit Imp. Justinianus dum Auth. de Monachis, collat. 1, etiam in princ. sic ait: Conversationis Monachalis vita sic est honesta, sic commendare novit Deo ad hoc venientem hominem, ut omnem humanam ejus maculam detergat. Quod Glossa ibi, v. Maculam, et lib. Deo nobis, § Hoc etiam, v. Quasi, explicat, id est purgat a peccatis. C. de Episcopis et Cler. Atque idem tradunt D. Thomas 2. 2. q. ult. a. 3 ad 3 et ibi Cajet. idem D. Thomas 4, dist. 4, q. 3 a 3 quæstiunc. 3 ad 3. Palud. 4, dist. 38, q. 4, a. 1 conclus. 8 n. 17. Felinus c. Cum deputati, n. 4 de judiciis. Waldensis de Sacramentalibus tit. 9, c. 80, n. 8 et 9. Petrus Sutor Carthus. lib. 2. suæ historiæ, tract. 1, c. 7. Rosella v. Religio 2, n. 9. Angelus v. Religiosus n. 46, Sylv. v. Religio 3, q. 23, Armilla, v. Novitius in fine et ibi Tabiena in fine, et v. Indulgentia q. 27, n. 8. Navar. de Indulgentiis, notabili 20, n. 17, et comment. de Regular.

n. 60. Ant. Cucus lib. 3. instit. majorum tit. 1. n. 50. Emmanuel Sa Summa v. Religio n. 17. Azor lib. 12 Instit. moral. c. 5. q. 11. Platus de bono Status Religiosi lib. 1 toto c. 13. Manuel quæst. regularib. tomo 2 in q. 87 art. 1. Atque hujus rationem reddit D. Bernardus proxime allegatus. Quod Religionis Professio sit perfectissima sæculi abrenuntiatio, et opus excellentissimum universa alia vitæ humanæ superans. Et D. Thomas 2. 2. q. ult. art. 3 ad 3, reddit hanc rationem. Quia si eleemosynis possunt peccata omnia redimi, juxta Danielis 4, Peccata tua eleemosynis redime: quanto magis Professione Religionis, quæ longo intervallo eleemosynam excedit? Per hanc enim erogatur quod extra hominem est, et ex eo quod abundat, pars aliqua tribuitur. Per illam vero non pars, sed omnia: nec aliquid extra se, sed ipsimet Profitentes obsequio divino in perpetuum traduntur. Aliam rationem reddit idem D. Thomas 4. dist. 4 q. 3 art. 3. Quia cum Profitens voluntatem suam cœteris rebus chariorem in perpetuam Dei servitutem redigat, jam plenissime pro omnibus anteactæ vitæ delictis satisfecisse censetur: utpote qui id dat quo nihil majus dari poterat. — 3. Hoc tamen non ita intelligendum est ut in omnibus æquetur Baptismo Professio Religionis. Nam Baptismus est Sacramentum conferens ex opere operato primam gratiam et delens omnia crimina quoad culpam et pœnam. At Professio nec est Sacramentum, nec primam gratiam confert, nec peccatorum culpas delet, sed solam pœnam temporalem in purgatorio eis correspondentem. Nec id ex opere operato efficit, sed virtute maximæ satisfactionis in eo opere contentæ, quo Profitens renuntiat prorsus sæculo, et se cum suis omnibus in perpetuum Deo dedicat moriens mundo. Quare similitudo cum Baptismo in eo sita est. Sicut enim e Baptismo non idem homo emergit, qui in eum ingressus fuit, sed prior ille mortuus est, et cœpit novus: ex quo rursus sequitur, ut prioris illius peccata

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

jam illi non imputentur, sed omnino aboleantur. Sic cum Profitens moriatur sæculo, ac sibi ipsi, desinit esse is qui olim erat, et ideo non mirum est, si culparum pœnæ quibus ille obnoxius erat, una cum ipso homine moriantur et obliterentur. — 4. Hinc deducitur non id Professioni tribuendum esse, quod tribuitur Baptismo. Quippe hic in mortali susceptus reviviscit sublato per legitimam pœnitentiam illo peccato: ac omnem illum effectum habet, quem digne susceptus erat habiturus. At Professio in mortali emissa non reviviscit sublato eo peccato, sed hæc plena peccatorum condonatio Professioni in gratia factæ debita obtinetur. Ratio disparitatis est, quia Baptismus ex Christi institutione est Sacramentum habens ex opere operato eam reviviscendi vim: ut ea ratione remittantur peccata ante Baptismum commissa, qui remitti nequeunt nisi virtute Sacramenti, et non pœnitentiæ, quia illa non sunt materia Sacramenti pœnitentiæ. At Professio est opus hominis, nil ex opere operato habens, sed ex vi et merito ipsius operis excellentissimi. Quare sicut alia opera satisfactoria in mortali facta non reviviscunt adepta gratia, ita nec Professio. Atque ita docent Cajet. 2. 2. q. ult. a. 3 in fine, Tabiena etsi sub dubio, v. Novitius, fine, Navar. de Indulgentiis, notabili 20 n. 17, Azor lib. 12 Instit. moral. c. 5, q. 11 fine. Quamvis minus bene Armilla v. Novitius in fine dicat eam reviviscere, si Professus ad gratiam rediens confirmet priorem Professionem. — 5. Secundo deducitur, hanc condonationem non obtineri quoties Professio renovatur, sed sola prima vice qua emissa est, ut bene docet Tabiena, v. Novitius, fine. Quamvis aliqui, quos tacito nomine refert, nec improbat Emmanuel Sa, Summa, v. Religio, n. 17. dicant obtineri, quoties Professio renovatur. Ratio autem est, quod hæc condonatio fit virtute illius operis quo Profitens se integre Deo tradidit. At hujus traditionis renovatio non est opus ita meritorium et satisfactorium, sicut prima traditio: tum ob majoris difficultatis defectum, quæ in

ipsa prima traditione reperitur: tum etiam quia opus ipsum est intensius, ac intensiori voluntate fit, quam sola operis facti complacentia. Si tamen Professus in laxiori transeat ad strictiorem, vel expulsus in perpetuum a strictiori transeat ad laxiorem, et in nova illa Religione profiteatur, credo obtineri hanc plenam condonationem. Quia est omnino nova Professio, novaque traditio. — 6. Tertio deducitur, hanc plenissimam condonationem obtentam per Professionem, non esse vere Indulgentiam plenariam. Quia etsi in effectu cum ea conveniat, qui est omnem pœnam purgatorii peccatis debitam remittere: at differt, eo quod Indulgentia plenaria concedatur ex Christi et Sanctorum satisfactione in thesauro Ecclesiæ deposita, eam applicante ejus dispensatore Summo Pontifice. At Professio hac condonandi pœnas virtute potitur, non ex aliqua Pontificia concessione illum thesaurum applicante, sed ex vi et merito ipsius operis excellentissimi, et quamcumque peccatis debitam satisfactionem excedentis. Atque ita docent Navar. de Indulgentiis, notab. 20 n. 17, Platus de bono status Religiosi lib. 1. c. 13. Qui optime probat, excellentiori modo competere hanc condonationem Professioni, quam Indulgentiæ plenariæ. Nam Indulgentia ad integrum sui valorem desiderat causam proportionatam, et opus aliquod injungi, adeo ut si alterutrum desit, aut non valeat Indulgentia, aut tantum valeat, quantum est pondus illius operis et causæ. Quæ cum hominum judicio metienda sint, facile fieri potest, ut vel tota Indulgentia, vel pars ejus corruat: eo vel maxime quod in opere injuncto exequendo multum delinqui possit ex negligentia. At hæc Professionis condonatio non innititur concessioni alicujus, sed ipsius operis dignitati. Quæ cum semper sit eadem, semper hunc effectum obtinebit, nisi lethalis status Profitentis impediat, qui etiam cuicumque Indulgentiæ obtinendæ obstat. — 7. Ultimo deducitur, hanc plenissimam condonationem obtineri quoque per simplicia biennio novi-

tiatus transacto vota emissa in Soc. Jesú. Quippe illa emittens constituitur in vero Statu Religioso, moritur mundo, omnibus ejus renuntiat: ac se, suaque omnia perpetuo Dei obsequio sub Prælati obedientia mancipat. Quæ sunt rationes ob quas id tribuitur solemni Professioni (ut diximus n. 2 et 3), quando tamen postea renovantur vota hæc sexto quoque mense, non obtinetur (ut constat ex dictis nº 5). At credo eam condonationem iterum obtineri per solemnem trium, aut quatuor votorum Professionem in ea emissam. Quia quamvis vota hæc solemnia sint ejusdem speciei cum prioribus illis simplicibus, et utraque vere et proprie constituant Religiosos: at traditio per illa vota simplicia erat conditionalis quoad perpetuitatem: per vota autem solemnia est omnino absoluta. Et ideo tanquam continentibus novum ac perfectissimum traditionis modum, non mirum si hanc iterum condonationem eis tribuamus. Et ad hoc confert quod diximus n. 5 fine. Quando autem qui tria solemnia vota in Societate emiserat, admittitur ad quatuor votorum Professionem, non iterum condonatio hæc obtinetur. Quia utraque traditio est solemnis et absoluta, et tantum priori obligationi additur novum solemne votum obedientiæ Pontifici. — 8. Demum observandum est, per privilegia fratribus Minimis concessa Religiosos Soc. Jesu duplicem Indulgentiam plenariam a Pontifice concessam obtinere, priorem in ingressu, posteriorem in mortis articulo ut habetur in compendio nostrorum privilegiorum, v. Indulgentiæ § 4. Quibus quoque cœteri Mendicantes fruuntur. Nomine autem ingressus bene intelligit Manuel 2 to. q. 9 regularium, in q. 87, a. 1, priorem ingressum per Habitus susceptionem. Et in nostra Soc. non fit Habitus susceptio, intelligo tunc obtineri quando finita prima probatione admittitur ingrediens ad novitiorum consortium. Tunc enim reputatur vera ejus admissio.

Layman (†1635) l. IV, Tract. V, c. X. 1. Prima præroga-

tiva est: Plenissima omnium peccatorum remissio. Quamobrem S. Hieronymus epist. 8 ad Demetriadem, S. Anselmus lib. de Similitudinibus cap. ult., S. Bernardus tract. de Præcepto et dispensatione, Leontius Cyprius Episcopus in vita Symeonis Abbatis, S. Thomas 2. 2, q. ult. a. 3 ad 3, Professionem in Religione alterum Baptismum dixerunt. Probatur ratione S. Thom. 4 dist 4, q. 3 a. 3 ad 3. Certum enim est quod homo justus ex Christi meritis plene satisfaciat Deo pro peccatis suis, si omnia quæ potest propter Dei gloriam et obsequium præstet; sive, ut aliis verbis dicam, si tantum præstet, ut plus præstare non possit. Idipsum autem fit, dum homo omnia externa et interna, divino obsequio in perpetuum, editis votis, offert, ac consecrat; maxime quando animi libertatem, qua nihil in homine excellentius, ipsique charius, derelinquit atque Deo stabiliter tradit. Confirmatur: qui partem bonorum propter Deum in eleemosynas pauperum dat, ut Zachæus ille Lucæ 19, pro peccatis suis satisfacit, juxta illud Daniel 4 Peccata tua eleemosynis redime. Ergo qui omnia sua, et seipsum divinis obsequiis tradit,is plene satisfacit: siquidem Religionis assumptio omne genus satisfactionis superat, juxta cap. Admonere 33, q. 2, ubi Glossa v. Monasterium notat, quantamcumque pœnitentiam aliquis propter peccata subire debeat, intrando Religionem satisfacere, et liberari. Atque hæ rationes a parte ostendunt, prærogativam istam competere etiam votis simplicibus in Soc. Jesu edi solitis; quippe quæ veram voventium traditionem continent, eosque veros Religiosos efficiunt, qua de re Sanchez libro V Moralium, c. V, n. 7. — 2. Porro bene admonent Navarr. tract de Indulg. notab. 20, n. 17, Hieron. Platus de bono Status Religionis cap. 13 v. Sane, Sanchez l. V. Moral. c. V n. 6. hanc plenissimam peccatorum remissionem certiore ac perfectiore modo competere votis Religiosis, quam plenariæ Indulgentiæ. Quia Indulgentia, cum sit quædam concessio et condonatio, ex auctoritate Summi Pontificis,

causam concedendi justam requirit, et alias conditiones in iis quibus conceditur. At vero ad remissionem peccatorum junctam cum Professione Religiosa, aliud insuper non requiritur, quandoquidem ea remissio ex natura et præstantia ipsius operis, per modum cujusdam justæ solutionis, ex Christi meritis promanat, modo subjectum capax sit, videlicet homo in gratia Dei constitutus, quæ est conditio ad omnem satisfactionem requisita. — 3. Deinde neque illud improbabile mihi videtur, quod ex aliquorum sententia refert, et non improbat Sa v. Religio n. 17, etiam per renovationem votorum regularium, plenariam peccatorum remissionem obtineri. Nam vota quæ in Religione eduntur, ideo afferunt plenariam remissionem peccatorum, quia continent perfectam hominis traditionem erga Deum; sed hæc traditio non semel, sed iterum fieri, seu renovari potest; ergo etiam remissio peccatorum iterato acquiri; licet contrarium sentiat Sanchez n. 5, cum Tabiena v. Novitius, in fine; propterea quod opus primæ traditionis difficilius sit, et ex intensiore voluntate procedens. Sed respondetur, hæc accidentaria esse: imo etiam fieri posse, ut renovatio votorum majore animi constantia et determinatione ad Dei obsequium fiat, quam prima traditio facta fuerit.

Tamburinus Ascanius († 1635) De jure Abbatum, tomo 3, disp. 6, quæsit. 27, n. 3. Dico primo: Professio valide emissa in Religioso remittit totam pœnam peccatis ejusdem debitam. Ita affirmant Navar. de Indulg. not. 20, n. 17 et comment. 2 de Regular. n. 60, Emmanuel Sa in Summa v. Religio n. 17, Rodriq. qq. Regul. tom. 2, q. 87 art. 1, Antonius Cucus lib. 3 Instit. major. tit 1. n. 50. Platus de bono Status Religionis lib. 1, c. 13. Campanilus in divers. jur. canon. rubr. 12, cap. 10, n. 1. Bartholom. a S. Fausto in thes. Relig. lib. 5, q. 315, Hieronym. Rodriq. in compend. qq. regul resol. 77, n. 7, Azor Instit. moral. tom. 1, l. 12, c. 5, q. 11; Barbosa de jur. Eccl. l. 1, c. 42, n. 179,

quod etiam habetur in cap. Quis aliquando, §. His auctoritatibus, de pœn., dist. 1.: ibi enim constat nullam criminum præteritorum satisfactionem ingredienti Religionem imponendam, quod totum residuum vitæ tempus dedicet. Quod etiam colligitur in Auth. de Monachis, collat. 1 in princ. ubi habetur, quod conversationis Monachalis vita sic est honesta, sic commendare novit Deo ad hanc venientem hominem, ut omnem humanam ejus maculam detergat. Imo Professio habet ex se privilegium remittendi pœnas debitas peccato. Ratio est quia in Professione moritur homo voluntarie mundo, tradens se omnino, et totaliter Deo quoad animam, et quoad corpus in perfectum, et suave holocaustum: ex qua voluntate magnum hujusmodi meritum provenit, ideo fit plena omnium peccatorum remissio. Ita S. Thomas 2. 2. q. 189, a. 3 ad 3, Cajetanus ibid. et Corduba super Regulam S. Francisci c. 2., q. 14, Bartholom. a S. Fausto. loco cit. lib. 5, q. 116, Campanilus in divers. jur. rubr. 12, cap. 10, n. 1. — Hoc autem quod dicimus valet quando emittitur valida Professio. Ita docent Tabiena v. Novitius in fine, Sanchez lib. 5 in Præcept. decal. c. 5, n. 5. Et eamdem condonationem peccatorum suorum consequuntur Religiosi, quando jam professi, gaudent de ipsa Professione, illamque innovant, parati facere, si non fecissent. Ita tenent Dionysius Carthus. in Opusc. de Profess. Monach. in append. et S. Bernardinus Senensis, ut refert Bartholom de Vecch. in praxi Novit. disp. 13, dub. 5, n. 7. Et colligitur ex Emmanuele Sa, v. Religio n. 17 et Laurentio de Peyrin. q. 3 de Prælat., c. 1, n. 154. — 4. Si petas, an qui emittit Professionem cum conscientia peccati mortalis, consequatur supradictam remissionem pœnæ omnium peccatorum suorum. Respondeo, quod, licet plenariam remissionem non consequatur propter peccatum mortale; tamen si postea resipiscat, illam consequitur: quia hujusmodi privilegium in Professione conceditur omnibus illis, qui non ponunt obicem. Unde

obice sublato per pœnitentiam, eamdem remissionem sortietur. Ita dicunt Bartholom. de S. Fausto loco cit. l. 5, q. 317, Barbosa loc. cit. n. 180 in fine, contra Navarr. de Indulg. notab. 20, n. 17, Cajetanum 2. 2. q. 189, ar. 3 ad 3. Ratio autem a supradictis auctoribus assignata est, quia hoc privilegium in Professione conceditur tradenti se totaliter ex corde Deo : sed Religiosus cum ad se redit post Professionem, et coram Deo in veritate profitetur, se ex corde Deo tribuit: ergo dabitur etiam ei, quando resipiscit dicta plenaria peccatorum remissio ; et tam in illo, quam in alio se sine labe peccati tradente Deo Professio hujusmodi Religionis æquabitur Baptismo propter rationem dictam. — 5. Quod vero Professio æquetur Baptismo, colligitur ex D. Bernardo lib. de Præcepto et dispens. in fine, ubi ait: Audire... mortis Ejus. (Vide supra pag. 35) — 6. Non tamen inferas æquiparandam esse Professionem in omnibus Baptismo, ut colligitur ex D. Thom. in 4 dist. 4 q. 3 a. 3 quæstiunc. 3 ad 3 et Corduba c. 2, q. 14. part. 1, nam Baptismus est Sacramentum conferens primam gratiam ex opere operato, et delens omnia peccata quoad culpam, et pœnam; Professio vero non confert primam gratiam, nec delet culpas peccatorum ; sed pœnam tantum temporalem in purgatorio expiandam. Imo neque hoc facit ex opere operato, sed ex opere tantum operantis, qui, videlicet, se abdicando mundo, divinis sponte addicitur obsequiis, ut habetur ex Sanchez loc. cit. c. 5, n. 4 et Barthol. a S. Fausto in thes. Relig. cit. c. 5, q. 318. — 7. Ex his ergo clare constat, Profitentem omnium peccatorum remissionem consequi, et quoad pœnam absolutum remanere ab omnibus pœnis purgatorii ; ita ut peracta Professione, si statim decederet Profitens, in Paradiso inter alios Beatos divina, et beatifica frueretur visione, ut affirmant S. Thomas 2. 2. q. ult. ar. 3 ad 3, Sanchez loc. cit. n. 2, Navarr. l. 3 cons. de Regul. cons. 44, n. 1, Rosella v. Religio, 2. § 9. Azor loc. cit. c. 5, q. 11, Suarez Tom. III de Relig, l. 6, c,

13, n. 4, Ledes. 2 part. Sum. tract. 10, c. 5, diff. 2, Caracciolus in const. Cleric. Regul. part. 2, c. 1, § 14, Barbosa in collect. in cap. 4 de voto, n. 5. Ratio est, ut dicit D. Thomas loc. cit. quia, cum Profitens voluntatem suam cœteris rebus chariorem in perpetuam servitutem Dei redigat, jam plenissime pro omnibus anteactæ vitæ delictis satisfecisse censetur; utpote, quia dat illud, quo nihil majus dari poterat. — 8. Advertendum tamen, quod hujusmodi perfecta condonatio peccatorum quoad pœnam, etiam per Professionem obtenta, non est censenda Indulgentia plenaria: nam licet sit idem effectus; provenit tamen ex diversa causa: etenim Indulgentia plenaria conceditur ex meritis passionis Christi, et Sanctorum satisfactione in thesauro Ecclesiæ repositis, eadem merita applicante Summo Pontifice, vero et ligitimo Ecclesiæ Dei thesauri dispensatore; Professio vero condonat hujusmodi pœnas, non ex aliqua concessione pontificia, sed ex vi, et merito ipsius operis excellentissimi, et quamcumque debitam peccatis satisfactionem excedentis, prout docet Barbosa de jur. Eccl. l. 1, cap. 42, n. 182 ex Sanchez loc. cit. n. 6. et Navarr. de Indulg. not. 20, n. 17 et docet etiam Bartholomæus de Vecchiis in praxi Novit. disp. 13, dub. 5, n. 6.

Sylvius († 1649) Comment. in 2. 2. q. 189, art. 3 ad 3. In resp. ad tertium ait rationabiliter dici posse quod per ingressum Religionis, eum videlicet quo quis revera fit Monachus, hoc est, per Professionem, aliquis consequatur remissionem omnium peccatorum, quantum scilicet ad pœnam pro eis restantem. Si enim aliquibus eleemosynis factis homo potest statim satisfacere de peccatis suis, secundum illud Danielis 4: Peccata tua eleemosynis redime; multo magis in satisfactionem pro omnibus peccatis sufficit, quod aliquis se totaliter divinis obsequiis mancipet, sicut fit in Professione Religionis. Hinc Hieronymus epist. 25, cap. 2 Professionem Monasticam vocat secundum

Baptismum. Et Bernardus, de Præcepto et dispens. c. 17 : Audire... evadimus (vide supra pag. 35); si nimirum Professio, sicut oportet, in bono statu, et propter Deum emittatur. His consentanea scribit Author libri de Similitudinibus apud Anselmum capite ultimo. Unde legitur in Vitis Patrum, lib. 6, c. 9, quod eamdem gratiam consequantur Religionem intrantes, quam consequuntur baptizati, quoad scilicet remissionem pœnarum ex peccatis præteritis restantium. Et in vita B. Antonii per S. Athanasium scripta habetur, quod cum ipsius in sublime rapti viam impedire vellent dæmones, illi objiciendo peccata juventutis, Angeli boni responderint, non debere ea delicta narrari quæ jam Christi essent Bonitate sopita : si quæ autem scirent ex eo tempore quo factus esset Monachus, et Deo se consecrasset licere proferri. — Cœterum quia hæc (si de Religionis Professione secundum sui naturam loquimur) solum probabiliter dici possunt, Idcirco adjiciendum videtur quod Paulus V in Bulla cujus initium, Romanus Pontifex, anno 1606, die 23 Maji data plenariam concessit Indulgentiam, tum illis qui animo profitendi Habitum Religionis a legitimo Superiore suscipiunt, tum his qui expleto probationis anno, Professionem mittunt.

Hæftenus († 1648) Disquisitionum Monasticarum, lib. 4, tract. 8, disq. 2. Num Monastica Professio alter dici possit Baptismus ? — Hæretici pro innata sibi Monasticen vituperandi libidine, etiam hoc inter cœtera vellicant ac carpunt, quod dicamus Monasticam Professionem secundum quodammodo esse Baptisma. Philippus Melanchton audacter admodum affirmat Catholicos asserere, vitam Monasticam mereri justificationem, et remissionem peccatorum, et applicatam aliis eos salvare, et longe meliorem esse ipso Baptismo. Sed spissum hoc et portentosum est mendacium, quosnam enim allegat Catholicos hæc affirmantes ? Calvinus dicit Patres toto pectore abhorruisse ab illa blasphemia, et sacrilego dogmate, quo Professio Mo-

nastica secundum Baptisma nominatur. Sed quis non videat effrenatam hominis impudentiam? Sancti enim Patres, Sanctorum virorum exempla, et Scholasticorum receptissima doctrina, constanter hoc, quod ipse sacrilegum dogma audet nominare, asserunt. — Primo enim, ex Patribus, Hieronymus de obitu Blesillæ scribens, epist. 25, et ad Demetriadem, epist. 8 (Vide supra p. 17). Et S. Joannes Damascenus historia SS. Barlaam et Josaphat (Vide supra p. 22). Et Petrus Damianus Op. 16, cap. 8 (Vide supra p. 28). Et S. Bernardus lib. de Præcepto et dispens. (Vide supra p. 35). Et Goffridus quoque Vindocinensis Monasticam Professionem nunc stolam, nunc Habitum secundæ regenerationis vocat. In sermone quoque de S. Benedicto, sic ait: Gloriosus etenim iste sanctus nostræ secundæ regenerationis inventor pariter extitit et scriptor. Monastica, inquam, Religio, quam ipse instituit, secunda regeneratio jure nominatur, et etiam pontificali confirmationi non immerito comparatur. Hujus namque vitæ observatione et præterita peccata, sicut in Baptismate delentur, et contra futura, velut in confirmatione, Christianus munitur. Ita ille. — Secundo non desunt Sanctorum visiones hanc inter Baptismum et Religiosam Professionem, comparationem astruentes. In Vitis Patrum l. 6, libel. 1, n. 9 (Vide supra p. 24). Refert quoque Athanasius in vita Magni Antonii (Vide sup. p. 16). Idipsum demonstrat Anselmus exemplo Osberni Monachi (Vide sup. p. 30). Sed jucundum in primis et notabile hoc in genere quod Leontius Cyprius Episcopus antiquus auctor narrat in vita Symeonis Abbatis (Vide supra p. 17). — Tertio idipsum docent Scholastici. Antoninus (Vide supra p. 100) et Paludanus; Thomas Waldensis (Vide supra p. 82). Sed audiendus præ omnibus S. Thomas, Scholasticorum Phœnix, qui ait: Rationabiliter... (Vide supra p. 53). Ita Doctor Angelicus. Quem præter citatos sequuntur Azorius l. 12 Institut. Moral. cap. 5, q. 11; Bellarminus lib. 2 de Mona-

chis (Vide supra p. 122). Suarez Tom. 3 de Religione (Vide supra p. 125). Sanchez tom. 2 in Op. Moral. lib. 5, c. 5 (Vido supra p. 129). Emmanuel Rodriguez tom. 2, qq. Regular. q. 87, art. 1. Hieronymus Platus lib. 1 de bono Status Relig. cap. 13, (Vide supra p. 108) qui omnes communi consensu docent per Religionis Professionem obtineri omnium antea commissorum criminum plenissimam condonationem. Quæ etsi in effectu conveniat cum plenaria Indulgentia, differt tamen ab illa, quod Indulgentia plenaria concedatur ex Christi et Sanctorum satisfactione in Ecclesiæ thesauro deposita, applicante eam Summo Pontifice. At Professio hanc condonandi pœnas virtutem habet, non ex aliqua Pontificis concessione, sed ex vi et merito ipsius operis excellentissimi, et quamcumque peccatis debitam satisfactionem excedentis. Cujus rationem dat S. Thomas (4 dist. 4 q. 3. a. 3 q^tla 3 ad 3. Vide supra p. 51). Atque ita Stephanus V Hastulpho c. Admonere (Vide supra p. 71). Quid igitur nunc habent hæretici, quod tantorum Patrum auctoritati, quod testatissimis historiis, quod Scholasticorum receptissimæ doctrinæ opponant? falsum autem est, ut diximus, Catholicos docere Professionem Baptismo meliorem esse, illam enim Baptismati quidam conferunt, sed non præferunt, imo nequidem æquiparant, nihilque ei ex opere operato tribuunt. Unde Cajetanus expresse docet, sicut alia opera satisfactoria in mortali facta non reviviscunt adepta gratia, ita nec Professionem, quæ nihil virtutis habet, nisi ex vi et merito ipsius operantis. Et Bellarminus differentiam ponit inter Baptismum et Professionem, quod ille tollit culpam et pœnam, hæc autem solam pœnam. Et Suarez ait temerarium se censere eumdem effectum tribuere Professioni, qui tribuitur Baptismo. Est enim, inquit, res gravissima, et valde supernaturalis, quam sine revelatione, traditione Ecclesiæ, ac Patrum doctrina asserere temerarium est. — Eodem libro, Disq. 5, Quam utilis Professionis renovatio? Respondet: Quarto non improba-

biliter dici potest, Professionis renovatione mereri hominem remissionem peccatorum. Nam, id asserit Dionysius Carthusianus libro de Professione Monastica cap. ultimo (Vide supra p. 100). Ita pius et doctus ille theologus,ad quem respexerit forte Emmanuel Sa, v. Religio n. 17 non improbans aliquos ita tenere. Thomas vero Sanchez loc. cit. n. 5, secutus Tabienam, negat hanc condonationem obtineri quoties Professio renovatur. Ratio autem ejus est (Vide supra p. 133, et p. 137, Layman illum refellentem).

Lezana († 1659), Summa quæstionum Regularium Tom. I, c. 3, n. 1. Inter multas Religiosæ Professionis prærogativas illa videtur primum locum tenere, quod per illam, Professus, omnium peccatorum suorum antea commissorum condonationem, quoad omnem pœnam temporalem pro illis in purgatorio debitam, obtineat. Ita enim habet fere communis Sanctorum Patrum, antiquorum Monachorum, et Scholasticorum, quasi per traditionem,consensus. S. Thomas 2. 2. q. ult. art. 3 ad 3, Thomas Wald. de Sacramental. tit. 9, cap. 80, n. 8 et 9. Non tamen per eam remittuntur peccata quoad culpam. Cum nec sit Sacramentum, nec actus contritionis, aut Charitas. Sanchez lib. V in Decalog. c. V, n. 3. Nec reviviscit, si fuerit facta in mortali peccato, per subsequentem justificationem. Quia hoc solum competit Sacramentis. Cajetan. 2. 2. q. ult. art. 3. Hujusmodi autem condonatio non est per modum Indulgentiæ plenariæ. Quæ etsi in effectu assimiletur; non est ex applicatione meritorum Christi ab Ejus dispensatore Summo Pontifice facta, sed ex vi, et merito ipsius Professionis ; eo quod per illam Profitens renuntiet mundo, et se cum suis omnibus perpetuo dedicet Deo. Navarr. de Indulg. notab. 20, n. 17. Platus de bono Status Relig. libr. 1, c. 13. Similiter hæc condonatio, non quoties Professio renovatur, sed sola prima vice obtinetur. Tabiena v. Novitus in fine, Sanchez loc. cit. n. 5, addens n. 7 hanc prærogativam etiam competere Professioni factæ in Societate Jesu biennio Novitiatus transacto.

Salmanticenses (sæc. 17°) Cursus Theol. Mor. Tomo 4, Tract 15, c. 4, p. 5, n. 46. In præsenti non loquimur de privilegiis, exemptionibus, aliisque favoribus Religiosis personis competentibus: quia de his infra instituemus specialem tractatum. Sed de effectibus communibus, qui præcise ex vi solius Professionis subsequuntur. Quorum unus est plenissima omnium peccatorum condonatio, non quoad culpam, cum non sit Sacramentum; sed quoad omnem pœnam temporalem pro ipsis in purgatorio debitam. Unde D. Hier. in Epist. 8 et 25 appellat Professionem secundum Baptisma, et colligitur ex c. Quis aliquando § His auctoritatibus, de pœnit., dist. 1, et ibi Glossa v. Totum. Quod cognovit Justinianus Imperator, dum Authentic. de Monachis, coll. 1 initio, dicit: Conversationis Monachalis vita sic est honesta, sic commendare novit Deo ad hoc venientem hominem, ut omnem humanam ejus maculam detergat. Tenetque D. Thomas 2. 2. q. 189, art. 3 ad 3; et 4. Dist. 4, q. 3, art 3, q 3 ad 3, et cum eo omnes. Sed ut talis condonatio obtineatur, debet esse in gratia Religiosus. Si enim in mortali Professionem emittat, eam non lucrabitur: imo nec eo ablato reviviscet, quia non eam causat, sicut Baptismus, ex opere operato, sed ob excellentissimum opus satisfactorium a Profitente exhibitum, et sic ex merito ipsius operis excellentissimi. Unde sicut alia opera satisfactoria in mortali exhibita, non reviviscunt, ablata culpa, ita nec talis condonatio. Cajet. 2. 2. q. 189, art. 3 fin.; Lez. Tomo 1, c. 3, n 1; Sanchez libro 5, c. 5, n. 4. Unde infertur hanc plenissimam condonationem non esse vere Indulgentiam plenariam, quamvis in effectu, qui est omnem pœnam in purgatorio debitam expiare, cum ea conveniat. Differt vero, quod illa conceditur ex Christi, et Sanctorum satisfactione in thesauro Ecclesiæ deposita, applicataque per Summum Pontificem. Professio autem, non ex Pontificia concessione, illum thesaurum applicante, sed ex merito ipsius operis excellentissimi excedentis quamcumque

debitam satisfactionem pro peccatis, provenit. Navarr. de Indulg. not. 20, n. 17, Tamburin. Tomo 3, disp. 6, q. 28, n. 8, Becchius disp. 13, dub. 5, n. 6, Sanchez n. 6, Lezan. n. 1. Quoties vero Professio nulla ratificatur, eadem, secundum omnes, condonatio adipiscitur. At vero si Professio valida iterum atque iterum renovetur, aliqui dicunt non ob id de novo lucrari talem condonationem, quia renovatio non est opus ita meritorium, et satisfactorium : sicut prima traditio, cum ibi non interveniat tanta difficultas, sic Becchius n. 7, Sanchez n. 5, Lezan. n. 1. Alii benignius id assequi concedunt, si tali affectu renovat Religiosus suam Professionem, quod de novo tunc illam emitteret, si nondum eam emisisset, quia si quis memor peccati a se facti, de illo gauderet, puniendus esset, ac si de novo illud commisisset ; etiam qui memor alicujus actus heroïci a se facti, gaudet modo dicto de illo, consequitur eamdem veniam, ut credi debet, de Divina Bonitate ; sic tenent Laymam l. 4, tract. 5, c. 10, n. 2, Pal. tract. 16, disp. 2, pu. 8, n. 3. Peyrin. Tomo 2, de Præl. q. 3, c. 1, n. 154, Pelliz. tract. 3, c. 4, n. 15, Villal, quem refert et sequitur Antonius a Spir. Sancto, tract. 3, disp. 3, n. 179, Garc. tract. 4, disp. 3, dub 1. n. 7, Tamb. Tomo 3, disp. 6, quæsit. 27, n. 3, referens Dionysium Carthusianum et Sanctum Bernardinum Senensem.

Joannes Bona. Cardinalis Ordinis Cisterciensis († 1674). Phœnix rediviva, Annua Spiritus Renovatio etc. (quod compositum in Monasterio B. Mariæ a Vico in Sabaudia ante annum 1651, tum ad suam utilitatem, tum ad profectum aliorum, diutius delituit, ac tandem repertum manuscriptum Parisiis in Bibliotheca Regia anno 1846. publici juris fecit Josephus Martin Sacerdos Congregrationis Missionum ad Exteros. Parisiis apud Mellier, 1847) (1). — Meditatio 14.

(1) In hac præclara meditatione inveniet pius lector Religiosum Statum comparari Apostolico Statui, Martyrio, Angelico Ordini; et superare omnem debitam satisfactionem, ita ut nemini hanc pœnitentiam imponere liceat; — Religionis vero Professionem iteratum

I. Religio, schola virtutum et sanctitatis, est quidam præstantissimus Status ad Christianam perfectionem tendens per tria vota paupertatis, obedientiæ et castitatis. Religiosi vero illi dicuntur qui sæculo exempti jugem famulatum Deo exhibent perpetuis votis obstrictum, de quibus scriptum est: Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo (Galat. 3, 3). Dicitur autem Religio Status, quia genus vitæ stabile, fixum, perpetuum, et immobile profitetur. Hujus Status quanta sit dignitas et altitudo ex multis capitibus colligere licet: nam 1°, Religiosi super omnia quæ in mundo sunt erecti, omnia subtus se habent, omnia despiciunt et arbitrantur ut stercora, non modo illa non quærentes sicut mundani qui in iis ambiendis toti sunt, sed etiam oblata et affluentia rejicientes, et sola cœlestia desiderantes. 2° Vita nostra vitæ Christi simillima est, ut pictores solent cum vultum ex vultu exprimunt: nostra paupertas Illius paupertatem imitatur, Qui non habuit ubi caput reclinaret: nostra castitas Illius æmulatur castitatem, Qui fuit candor lucis æternæ: nostra obedientia ex Ejus obedientia deprumpta est, Qui erat subditus illis, et factus est obediens usque ad mortem: omnia denique studia nostra ad illud Exemplar conformata sunt, Quod toti orbi terrarum in monte Calvariæ monstratum est. 3° Similis est vita nostra vitæ Apostolorum, quorum omnium nomine dixit Petrus Christo: Ecce nos relinquimus omnia, et secuti sumus Te (Matth. 19, 27). 4° Ex communi consensu sanctorum Patrum Religiosæ vitæ asperitas juge Martyrium est, eo gravius quod diuturnius, ita ut merito possimus cum Propheta psallere Domino: Propter Te mortificamur tota die; æstimati sumus sicut oves occisionis (Ps. 43, 22). 5° Religiosi quia Deo dicati, consecratum templum Dei sunt, et gratissimum Ejus holocaustum. Est vita Religiosa Regia digni-

Baptisma quo peccata purgantur nuncupari. Quia autem in ea pars partem mire elucidat, illam opportune contrahi posse visum non est.

tate multo excellentior, ut in quodam libello ostendit Chrysostomus : est inchoata quædam supernæ Patriæ felicitas, et quidam in hoc exilio Paradisus. Nec desunt huic Statui ea quoque ornamenta quæ mundus in pretio habet, antiquitas nimirum, natalium splendor, illustria facta, doctrinæ et virtutum excellentia : quotquot enim existunt Ordines Religiosi, a viris eximiis habuerunt originem, dederuntque mundo tot scientia, virtute, et sanctitate eminentissimos homines, ut numerari non possint. Cavendum igitur ne malis moribus tantam dignitatam dehonestemus.

II. Magna hominum gloria reputatur inter servos Regis terreni computari ; quid autem inter domesticos et amicos ? At Religiosi non mortalis Principis, sed Ejus Qui aufert spiritum Principum cives et domestici nuncupantur : Estis, inquit Apostolus, cives Sanctorum et domestici Dei (Ephes. 2, 19) : atque eos supremus Dominus ore proprio inter amicos recensere dignatus est, dicens : Jam non dicam vos servos, sed amicos meos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo nota feci vobis (Joan. 15, 15) : nec amicitiæ gradu contentus ad arctiorem nexum propinquitatis illos evexit cum dixit : Qui fecerit voluntatem Patris mei Qui in Cœlis est, ille meus frater, et soror, et mater est (Matth. 12, 50). Quæ sententia cui hominum generi magis convenit, quam Religiosis qui perpetuo vinculo Divinæ Voluntati faciendæ propriam voluntatem voverunt ? Sed alia adhuc necessitudo inter animam Religiosam et Christum reperitur, ut Ejus sponsa mereatur esse, Cujus pulchritudinem sol et luna mirantur : Sponsabo te Mihi in sempiternum, et judicio (Os. 2, 19). Hæc autem dignitas quanta sit, nulla potest eloquentia explicare. Tandem in die judicii, quod omnem superat excellentiam, cum omnia terrore plena erunt et horribili calamitate, in illius amplissimi muneris partem venturi sunt Religiosi ut una cum Christo Judice sedeant, sententiam laturi salutarem his qui ad dextram stabunt, funes-

tam his qui ad sinistram. Vos qui secuti estis Me, ait Ipse Judex, cum sederit Filius hominis in sede Majestatis suæ, sedebitis et vos judicantes (Matth. 19, 28): quod licet ad Apostolos principaliter dictum sit, ad omnes tamen Religiosos similiter pertinere et docent omnes Theologi, et ratio evincit: Apostolicam enim vitam Professi sumus. Cui Professioni congruere innocentia et sanctitate satagendum est.

III. Innumeræ quoque sunt Religiosi Status utilitates: nam 1°, removet nos ab occasionibus peccati, et ab omnibus creatis etiam licitis et permissis; ex qua re illud consequimur, ut, abjectis omnibus impedimentis, ad opera cœlestia promptiores reddamur et expeditiores. 2°, Solemnis Professio (1) iteratum Baptisma est, quo remissionem omnium peccatorum obtinemus. 3°, Nulla satisfactio adæquari potest pœnitentiæ Religiosorum: nulla enim tam immania possunt esse peccata, in quorum pœnam possit aliquis cogi ad hoc vitæ genus subeundum. 4°, Omnes actiones ex vi voti gratiores sunt Deo, ac propterea majoris meriti. 5°, Religiosi ab omni cura et sollicitudine torrena liberi, attentius possunt Deo vacare, suntque certissimi se Divinam in omnibus exequi Voluntatem, si a suo instituto non recedant. 6°, Cum iter ad Cœlum multa caligine obscurum, multis difficultatum pœnis obsitum sit, habet homo in Religione duces et ductores sapientissimos, qui labentem sustinent, errantem dirigunt, cadentem erigunt, prælabantem adjuvant, ignarum instruunt, fovent imbecillem, beneque vivendi normam voce, scriptis, et statutis subministrant. 7°, Religio est quoddam corpus, cujus singuli membra sumus; ideo alter alterum juvat, tum verbo, tum exemplis, tum mutua charitate, et omnium bonorum communicatione, ut vere de nobis dici possit: Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma (Prov. 18, 19). Denique in

(1) Non nisi ad suos loquitur, qui tunc solemnem tantum habebant.

Religione, ut docet sanctus Bernardus, homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, quiescit securius, moritur confidentius, purgatur citius, remuneratur copiosius. Vivit purius, ob media quæ habet ad id efficacissima, quæ sunt usus Sacramentorum, oratio, meditatio, examen conscientiæ, lectio spiritualis, consortium bonorum. Cadit rarius, quia Divina gratia roboratur, longe degit ab occasionibus, et Christi sequitur vestigia. Surgit velocius, quia levior est casus, et auxiliis abundat. Incedit cautius, ob eorum exempla cum quibus vivit, quia magis timet offensam Dei, scitque peccati quanta sit fœditas, quanta virtutis pulchritudo. Irroratur frequentius, quia fonti gratiarum vicinior est, magisque idoneus ad cœlestes illapsus suscipiendos. Quiescit securius, caret enim conscientiæ stimulis, affectibus inordinatis, et curis temporalibus. Moritur confidentius, quia ab amore rerum terrenarum liber est, nullius gravioris culpæ sibi conscius, jam diu pugnæ assuetus, bonis operibus instructus, Cœlitum præsidio et fratrum orationibus munitus. Purgatur citius, quia jam culpis satisfecit, et fratrum suffragiis adjuvatur. Remuneratur copiosius, quia in Ecclesia militanti plus laboravit, ejusque opera majoris sunt meriti ratione votorum. His perpensis, considerandum est quanta pœna et ignominia afficientur in futuro sæculo hi Religiosi qui male vivendo his fructibus vitæ Religiosæ se incapaces reddiderunt, et inter tot divitias fame perierunt.

IV. Conjuncta utilitati est summa suavitas et jucunditas, quia 1°, hic Status expedit nos a cunctis molestiis et ærumnis vitæ sæcularis, quæ adeo multæ sunt ut vix ulla domus reperiri possit sive divitis sive pauperis, quæ non aliquam luctuosæ tragœdiæ speciem repræsentet. 2°, Omnis ejus disciplina facilis est et brevis, omnia ejus instituta suavissima. Quid enim suavius, quam sedatis passionibus vivere secundum rationem? Quid animæ delectabilius,

quam spiritualibus deliciis abundare? Id vero præstat Religio. 3°, Sunt et magna illa solatia quæ quisque Religiosus copiosissime percipit ex oratione et meditatione; dulciores enim sunt lacrymæ orantium, quam gaudia theatrorum. 4°, Perpetuam lætitiam affert nobis tranquillissima serenitas animi, quæ ex bona conscientia procedit, quæ est prægustatio quædam æternæ felicitatis. 5°, Item dulcissima fratrum consuetudo, et vera amicitia quam conciliant morum et studiorum ac ipsius habitus similitudo, tum virtus et probitas, sermonis gratia et eruditio, mutua officia et solatia in rebus adversis, humanissima colloquia, data vicissim et accepta beneficia. 6°, Multa quoque est delectatio quam scientiæ parturiunt, artiumque liberalium variæ doctrinæ: ea enim studia humanam naturam intime attingunt, et nobilissimam hominis partem afficiunt atque illustrant. Alia demun Religiosorum solatia sunt ex munditia castitatis, ex conversione animarum, ex centuplo sibi promisso et reddito, et ex aliis innumeris capitibus orta, quæ vitam nostram adeo exhilarant, ut omnino concludendum sit, nihil vita Religiosa felicius esse posse, nihil jucundius.

V. Est igitur Religio terrestris Paradisus, in qua propterea vitam traducere debemus similem ei quam Angeli ducunt in Cœlis, licet cum inæqualitate virtutis. Angeli nunquam cessant Deum amare, laudare, adorare; nunquam se ab Ejus visione divertunt, licet in terram quandoque mittantur in ministerium; recti sunt, constantes, et Divinæ Voluntati immobiliter adhærentes: ita et nos jugiter studebimus Deum diligere et benedicere, tam in prosperis quam in adversis: semper intenti in Eum erimus per aspectum veræ fidei, et per unionem charitatis, semper in bono perseverantes, Ejus beneplacito conformes. Illi semper sunt mites, benigni, pacifici, humiles, subditi Deo, cunctisque virtutibus exornati: et nos quoque dociles, tranquilli, modesti erimus, omnique virtute præditi:

illorum purissimam castitatem, ardentissimum amorem, et omnibus numeris absolutam perfectionem æmulabimur. Nec temeraria existimanda erit ad tam sublimem gradum aspiratio; ad altiora enim nos evexit Qui dixit: Estote perfecti sicut et Pater vester cœlestis perfectus est (Matth. 5, 48).

Joannis Cardinalis Bona, Testamentum quo se præparavit ad mortem, n. 6 in fine: Tu fortissime Christi Martyr et Sanctissime Papa Stephane, in cujus die natali per secundum Baptisma in solemni votorum nuncupatione renatus sum, tu me respice ab alto, et constantiam impetra in hoc certamine, ac de hoste tartareo gloriosum triumphum. — Eadem verba leguntur in ejusdem Opusc. De præparatione ad mortem, c. 9, n. 16: Oratio ad Omnes Sanctos.

Lacroix († 1714) Libro 4, cap. 1, dub. 1, add. 7, 2. Remissio omnis pœnæ culpis debitæ, regulariter et vi ipsius Professionis vel votorum, tanquam condignæ satisfactionis: quamvis autem Sanchez neget id fieri per renovationem Professionis, tamen id affirmant Sa, Layman et Castropalaus († 1633).

Holzmann, Theologia Moralis, anno 1736, parte 3, tract. III, disp. II, c. 5, art. I, n. 618. Dico itaque primo. Regulares per emissionem Religiosæ Professionis consequuntur plenam, et perfectam remissionem pœnæ propter peccata quæcumque, ante commissa, et quoad culpam jam remissa, debitæ. Est sententia moraliter certa; nec scio authorem qui contradicat. Probatur primo. SS. Patres, Hieronymus, Anselmus, Bernardus, etc. apud Laymannum l. 4, tract. 5, c. 10, n. 1, Professionem vocant alterum Baptisma: atqui non sic vocari potest quoad remissionem culpæ; cum non sint alia remedia a Christo ad tollendum culpæ reatum instituta, nisi Sacramenta (in re, vel saltem in voto suscepta); ergo quoad remissionem pœnæ, propter peccata quoad culpam jam remissa etiamnum debitæ. Ubi recte

advertit Kerckove super nostra Statuta Generalia, c. 1, § 14. n. 22. nullo modo sustineri posse, quod per Professionem Religiosam, secundum se spectatam, remittantur peccata quæcumque etiam quoad culpam; imo id asseri absque nota temeritatis non posse censet Suarez, Tomo 3, de Relig. lib. 6. c. 13. n. 5. Siquidem temerarium est, aliis mediis. præterquam Sacramentis, attribuere vim remittendi peccata quoad culpam, etiamsi hæc mortalia sint. — Probatur conclusio secundo. Homo justus ex meritis Christi plene satisfacit Deo pro pœnis suorum peccatorum, si faciat tantum, quantum potest; prout videtur certum, et indubitabile (quid enim plus requirit misericors Deus, ad opera satisfactoria toties excitans in Scripturis ?) id autem facit homo, dum omnes suas facultates ex — et internas per Professionem Religiosam in perpetuum consecrat Deo, maxime dum derelinquit, et Eidem stabiliter tradit animi sui libertatem, qua nihil in homine excellentius, ipsique charius est: ergo etc. Confirmatur. Assumptio Religionis per Professionem supergreditur omne genus satisfactionis, per text. in c. 8, caus. 33, q. 2, ita, ut Glossa ibidem in v. Monasterium, dicat, quantamcumque pœnitentiam, propter peccata residuam, et adhuc subeundam, per ingressum, id est, Professionem Religionis, penitus exsolvi: ergo etc. Licet vero Religionem Profitentibus concessa sit a Paulo V Indulgentia plenaria, id tamen non evincit, remissionem pœnæ plenam, de qua diximus, principaliter ab Indulgentia provenire, sed ab excellentia, vi, et merito ipsius Professionis, quæ uti suiipsius est traditio Deo beneplacitissima, ita ab Eodem acceptatur pro solutione adæquata; quod nobis sufficienter innuitur per SS. Patrum, et Doctorum unanimem consensum. Unde hæc remissio est longe certior, quam quæ alias, seu communiter fit per Indulgentiam plenariam, quoniam ad hujus, nempe Indulgentiæ, valorem plures requiruntur conditiones, quarum una deficiente tota corruit; in Professione autem sola vera voluntas, qua

quis se Deo consecrat, et status gratiæ sufficiunt. Quod tamen cum Palao limitat Augustinus Michel Tom. 1, fol. 649, n. 3 et vult esse verum regulariter tantum; non vero, ubi peccata Professi sunt plura, et graviora, actus autem Professionis valde tepidus, ac remissus. Et forte hac de causa Religionem Profitentibus conceditur plenaria Indulgentia exigens solum opus Religionis (alias requirens plures conditiones, ut dictum) quæ sane necessaria non esset, si omnes indiscriminatim virtute ipsius Professionis plenariam pœnarum remissionem obtinerent. — 619 Quæres, an pœna, peccatis quoad culpam remissis debita, etiam remittatur per Professionis renovationem? — Respondetur, probabiliter remitti, supposito quod renovatio fiat serio, et fervide. Laymann loc. cit. n. 2, Kerckove n. 23, Mezger tract. 8, disp. 39, art. 5, n. 4, et alii plures. Ratio est, nam vota, quæ in Religione eduntur, ideo afferunt plenam pœnæ remissionem, quia homo per ea se totum perfecte mancipat Divino obsequio : ergo, si iterum, seu per Professionis renovationem, taliter se mancipet Deo, Ejusque obsequio, poterit eumdem effectum iterato consequi. Cæterum Professio renovari potest toties, quoties libuerit : prout edisserit S. Bernardinus Senensis : in Quadrages. Tr. 2, Serm 24, art. 1, cujus verba sunt : Hæc libertas non solum datur in illa hora, qua ipsum votum emittitur, sed etiam in omni tempore, qua sibi vovisse placet, et in quo cum hac complacentia votum implet. Indulgentiam tamen specialem pro Religiosis in communi, Professionem reiterantibus sive determinato die, sive pro libitu, non scio concessam. Religiosis autem nostri Ordinis de Observantia, suam Professionem semel in anno, die nimirum 16 Aprilis, renovantibus, Indulgentiam plenariam, eamque perpetuam, clementissime largitus est modernus S. Pontifex Clemens XII, an. 1735, die 30 Martii per Breve : Cum sicut, quemadmodum testatur Directorium Aracœlitanum PP. Francis canorum ibidem impressum pro anno 1736.

Richard, Charles-Louis des Frères Prêcheurs, Analyse des Conciles. Paris 1773, Tom 2. mot: Religieux: C'est pour ces précieux avantages et tant d'autres renfermés dans l'Etat Religieux, que les Pères de l'Eglise ne font pas difficulté de le comparer au Baptême et au Martyr, et de lui attribuer les mêmes effets, en lui assurant les mêmes récompenses. (S. Bern. Serm. 30 in Cant., S. Thomas 2. 2. q. ult. a. 3 ad 3). — 3. Telle est la doctrine constante des Pères de l'Eglise sur l'excellence et les avantages de l'état Religieux, qui a été si bien saisie, et mise dans un si beau jour par l'éloquent auteur (M^sgr de Rocquelaure, né en 1721, Docteur en Théol. 1744. Evêque de Senlis, 1^er aumônier du roi 1764, Académie 1770, Archevêque de Malines 1802-1808, Chanoine de S. Denis † 1818) du discours prononcé le mardi 1^er Octobre, 1771, en l'église des Religieuses Carmélites de S. Denis, pour la cérémonie de la prise du voile de la Profession de Madame Louise Marie de France. Discours frappé au coin de l'éloquence et de la vérité, et très propre à faire admirer de plus en plus le courage héroïque d'une Auguste Princesse, dont l'étonnant sacrifice fait la joie de l'Eglise et la gloire de la Religion. Ce sont les propres termes de l'approbation du docte et habile censeur (M. Ribailler, Docteur de la Maison et Société de Sorbonne, Syndic de la faculté de Théologie) de ce discours célèbre, et si capable d'immortaliser son illustre auteur, en immortalisant la Consécration mémorable à jamais de la vierge chrétienne qui en fut le sujet; autrefois Madame Louise Marie de France, aujourd'hui sœur Thérèse de S. Augustin.

M^sgr de Roquelaure, Discours du 1^er Octobre 1771. — Collection intégrale et universelle des orateurs sacrés. Migne, Tome 66^e, p. 645 et suiv. — Proposition: En deux mots, la Profession Religieuse est comparable au Martyre: premièrement parce qu'elle rend à Dieu un égal témoignage: secondement parce qu'elle a droit à une égale récompense. — Première partie (p. 650): Faire une profes-

sion éclatante des vérités que la religion nous enseigne ; joindre à la soumission de l'esprit l'austérité des mœurs et une conduite irréprochable ; on pourrait à ces seuls caractères, reconnaître un Martyr, si l'on bornait ce nom auguste à sa signification littérale et précise. Un Martyr n'est, à proprement parler, qu'un témoin ; et c'est un principe incontestable, que la foi, soutenue par les œuvres, est un témoignage authentique rendu à la Vérité souveraine qui répand sa divine lumière sur tous les hommes. (Quotiescumque bonis actibus mandatum Christi facimus, toties de Christo testimonium perhibemus. S. Aug. Serm. 32 de Sanctis). Ce témoignage, il est vrai, suppose dans celui qui le rend, une résolution ferme de justifier sa foi aux yeux de l'univers, fut-elle en butte aux épreuves les plus terribles. Aussi tout chrétien, fidèle à la loi, et pénétré de ces sentiments généreux, sans rencontrer l'heureuse occasion de répandre son sang pour la cause de son Dieu, peut encore aspirer à la gloire du Martyre (Duo sunt quippe Martyrii genera : unum in publico, aliud in mente, simul et in actione. Itaque esse Martyres possumus, etiamsi nullo ferro percutientium trucidemur. S. Greg. hom. 3 super Evang.) Vérité consolante dont l'Eglise nous répond, lorsqu'en parlant d'un de ses plus saints confesseurs, elle s'écrie : O sanctissima anima, quam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen Martyrii non amisit. (in officio S. Martini)... Guidée par une défiance si sage, l'Eglise a donc voulu que le nom de Martyr, ce nom de témoin par excellence, fut consacré spécialement pour honorer la fermeté héroïque de ces âmes généreuses, qui, par le sacrifice de leur vie, ont rendu à la religion un témoignage incontestable. Or le témoignage rendu par la Profession Religieuse porte les mêmes caractères que nous admirons dans le Martyre ; ces deux témoignages supposent également la conviction la plus intime : dans ces deux Sacrifices, l'homme présente à son Dieu l'hommage le plus éclatant

qu'une créature puisse Lui offrir; j'ajoute enfin qu'en méditant avec attention sur l'évènement à jamais mémorable dans les fastes de la Religion, qui nous réunit dans ce saint temple, on se persuade aisément que le témoignage rendu par la Profession Religieuse acquiert, dans cette illustre circonstance, toute la force dont il est susceptible... Je me borne donc à soutenir, ce qui n'a jamais été contesté, que les Martyrs étaient pleinement convaincus : or le témoignage rendu par la Profession Religieuse suppose une égale conviction ; aussi désintéressé dans son principe, il entraîne avec lui le sacrifice de toutes les consolations humaines. Quelles paroles avez-vous prononcées, ma chère sœur ! que d'énergie dans la professsion de foi qu'elles renferment ! sans en répéter les propres termes, qu'il me soit permis d'en exposer la substance. Seigneur ! je crois toutes les vérités que Vous avez révélées, et, parce que je les crois, je renonce absolument et sans retour à tous les biens, à tous les plaisirs et à tous les honneurs de la terre : je Vous remets jusqu'à ma liberté : il ne me reste que la vie ; je ne Vous la sacrifie point, parce que votre Volonté s'y oppose : mais du moins cette vie sera-t-elle employée toute entière à accomplir votre Volonté, dans les veilles, dans les jeûnes et dans l'exercice continuel d'une laborieuse pénitence... Le Martyre est donc l'hommage le plus parfait qu'une créature puisse rendre à son divin Auteur ; mais l'âme fidèle qui se dévoue à la pénitence dans une solitude sacrée, fait éclater d'une manière aussi sensible le grandeur d'un Dieu Qui l'a formée. Dans ce dernier sacrifice, on ne voit point, il est vrai, couler le sang de la victime ; Dieu Qui sonde les cœurs, n'entend pas moins les cris de cette victime gémissante ; séparée de la terre, tous ses désirs sont pour le Ciel que l'ardeur de ses vœux ne peut encore lui ouvrir. Toujours armée contre elle-même du glaive de la pénitence, elle rend à Dieu un témoignage que le Martyr ne rend pas, et qu'il ne peut pas rendre : c'est que dans

un genre de vie si pénible à la nature, on croit non-seulement qu'on pourra vivre, mais encore éprouver mille douceurs: dans ce dépouillement universel, dans cette soustraction absolue de tous les soutiens de la vie, sans un miracle de la grâce, il est sans doute aussi difficile de rencontrer le bonheur, qu'il le fut à Moïse de fair jaillir l'eau du rocher; et c'est ce miracle que l'on croit... Ainsi non content du témoignage que rendent à la religion tous les fidèles par la foi et par les œuvres, Dieu S'est réservé le Martyre et la Profession Religieuse comme deux témoignages plus authentiques et plus dignes de Sa Grandeur. Le premier est plus particulièrement le témoignage de l'esprit, et par lui l'infaillible Vérité de Dieu est hautement reconnue; le second est proprement le témoignage du cœur, et il honore Dieu comme l'unique Bien, et uniquement désirable: le premier est confirmé par le sacrifice de la vie, et le second par le sacrifice de tous les charmes de la vie: par le premier on meurt pour Dieu, par le second on ne vit que pour Dieu et de Dieu: le premier a éclaté à la naissance de l'Eglise, le second a illustré son triomphe: et tous les deux, dans les différents âges, ont attesté la sainteté de la religion. Vous avez voulu, o mon Dieu! que l'homme, s'immolant tout entier pour Vous, présentât le plus parfait des holocaustes, et que ce caractère auguste apprit à l'univers le culte et l'encens qu'il devait Vous offrir. Le premier de ces témoignages, destiné à confirmer la foi, a été placé dans les premiers siècles; c'était le temps où l'on pouvait le plus aisément s'assurer de la vérité des faits qui sont aujourd'hui l'objet de notre créance; et remarquez, je vous prie, que c'est le temps où ces faits ont été reconnus et attestés avec la plus inébranlable certitude. Ce premier témoignage a cessé, parce que la preuve qui en résulte a été suffisante pour tous les temps et pour tous les esprits, si l'on en excepte ces hommes téméraires auxquels l'évidence même ne peut suffire. Le

second, dont le commencement concourt avec la fin des grandes persécutions, ne cessera jamais, parce qu'il sera toujours nécessaire au maintien de la morale chrétienne, toujours combattue par le cœur humain, qui craint encore plus l'austérité de la loi, que l'esprit ne redoute les ténèbres sacrées dont la loi s'enveloppe ; car de toutes les erreurs, la plus injurieuse à Dieu, et en même temps la plus commune, celle qu'on peut appeler l'hérésie de tous les climats et de tous les siècles, c'est de dire et de croire que la pratique de l'Evangile est impossible: or cette hérésie pouvait-elle être plus complètement et plus universellement réfutée que par la Profession Religieuse, dont le témoignage visible, et toujours subsistant, dépose et déposera jusqu'à la fin des siècles, que la loi de Jésus-Christ non-seulement est praticable, mais qu'elle est, comme Lui-même l'appelle, un fardeau doux et léger, puisqu'en ajoutant encore le fardeau des conseils, plus onéreux sans doute que celui des préceptes, on peut cependant les porter tous deux avec allégresse? Oui, m. f., dans ce chemin du salut, si rude et si escarpé, on rencontrera plutôt le bonheur, que dans ces routes aisées et fleuries où l'homme profane s'égare, et après mille détours, ne trouve que trop souvent ces citernes empoisonnées où il boit l'amertume et la mort... La Profession Religieuse rend un témoignage égal à celui du Martyre, vous venez de le voir: elle a droit à une égale récompense, c'est ce qui reste à vous montrer... Seconde partie (p. 659)... Lorsque les Saintes Ecritures se taisent, l'autorité la plus respectable est celle des Saints Pères et des Docteurs de l'Eglise. On connait les éloges magnifiques qu'ils ont donnés au Martyre, jusqu'à lui attribuer la vertu d'opérer une justification aussi parfaite que celle du Baptême. De là cette parole si connue dans l'Eglise qui en a fait à cet égard la règle de sa conduite, que c'est faire injure à un Martyr que de prier pour lui (Injuriam enim facit Martyri, qui orat pro Martyre. Innocentius III,

De celebratione Missarum, cap. Cum Marthæ), parce que c'est méconnaître un mérite qui tient lieu de toutes les expiations, et dont l'effet, aussi prompt que l'éclair, fait du dernier instant de sa vie le premier moment de la Béatitude. Or les Saints Docteurs accordent les mêmes prérogatives à la Profession Religieuse, en la comparant tantôt au Baptême et tantôt au Martyre. En vain leur prêterait-on le dessein d'animer par ces éloges la ferveur des Chrétiens, et de peupler les cloîtres et les solitudes : non, c'est en parlant sur le ton de l'enseignement qu'ils déclarent que, par la Profession Religieuse, l'âme acquiert une innocence égale à celle du Baptême, et que si, dans cet instant même, elle quittait la terre, les portes du Ciel s'ouvriraient tout-à-coup devant elle, non point en vertu des Indulgences accordées à l'acte de la Profession, mais par le mérite seul de cet acte. Telle est la doctrine constante des anciens Pères de l'Eglise ; doctrine reconnue depuis par S. Thomas, et qu'aucun Théologien n'a jamais contestée. Saint Bernard enseigne cette vérité et la prouve plus efficacement encore, en l'appuyant sur les raisons les plus sensibles. Lorsqu'il parle de ces deux genres de Martyres (car il les appelle tous deux de ce nom), il dit qu'à la vérité le premier est plus horrible parce qu'il livre le corps aux tourments, mais que le second est plus pénible par sa durée. Or, je le demande, lequel les deux l'emporte du côté de la peine, et par conséquent du mérite, ou d'une douleur cruelle, mais courte, ou d'une souffrance plus légère, mais longue et continue ?... Convenons cependant, m. f., que la mort rendue présente avec l'appareil des supplices qui la précèdent, donne au Martyr l'occasion de déployer le plus grand spectacle que la confiance humaine puisse offrir ; mais si le Martyre Religieux n'expose pas à livrer ces sanglants combats, envisagé sous d'autres points de vue, il recouvre toute la gloire que le défaut de cette première épreuve lui enlève. Il est facile de s'en convaincre en examinant

avec attention les principales circonstances de ces deux sacrifices. Le Martyr affronte la mort : mais après tout, cette mort est inévitable ; il est forcé de choisir entre la mort et l'infamie : enfin son courage est soutenu par la certitude de recueillir, à l'instant même, le prix de sa victoire... Le Martyr Religieux s'expose à des maux qu'il peut tenir éloignés de lui ; sa croix est volontaire et librement embrassée : et, ce qui ne peut se dire des portes de la mort toujours ouvertes à la race humaine, on ne peut entrer qu'après avoir frappé à coups redoublés, dans le tombeau de la solitude. Cet hommage de l'âme Religieuse est d'autant plus cher à son Dieu, qu'il n'est point fondé, ainsi que le Martyre, sur une obligation étroite, et que nul Chrétien ne puisse enfreindre... Dans la vocation Religieuse, envisagée du côté de Dieu qui appelle, on n'aperçoit pas la trace d'une obligation si terrible. Dieu ne prononce point, Je le veux ; Il dit encore, comme au jeune homme de l'Evangile, si vous voulez ; Il invite comme à l'action qui Lui sera la plus agréable ; mais si l'on ne se rend pas à son invitation, on n'encourt point sa disgrâce ; et de là, nous pouvons conclure que le motif de la charité est en cette circonstance plus décidé que dans le Martyre... Il est sans doute affreux pour la nature, de voir arriver, au milieu des tortures les plus cruelles, le moment terrible où la terre va s'éclipser à nos yeux, et s'éclipser pour toujours. Que ce moment si redoutable perd de son horreur, lorsqu'on pense qu'en terminant toutes les misères de la vie, en ce moment va commencer le bonheur qui ne finira jamais... Quel puissant aiguillon, m. f.! Et faut-il s'étonner que l'Eglise toujours sage, parce que l'Epoux qui la gouverne est la Sagesse incréée, ait fait briller plus d'une fois le glaive spirituel pour arrêter ceux de ses enfants qu'un zèle téméraire précipitait au-devant du glaive des persécuteurs !... Quel différence du Martyr Religieux! Là le moment du sacrifice était le premier instant du repos éternel : ici

commence une guerre opiniâtre dont le but est de dompter et d'asservir la nature ; ennemi terrible qui, malgré les blessures les plus profondes, survit toujours à lui-même, fatiguant sans cesse son vainqueur, et se montre redoutable encore à son dernier soupir. Tel doit être le Martyre de tous les jours, de toutes les heures et de tous les instants de la vie dont l'austérité Chrétienne doit prolonger le cours. Oui, m. f., c'est un fait que l'expérience de tous les temps a confirmé ; les délices du monde abrègent les jours, et l'austérité les conserve ; soit que Dieu se plaise à multiplier des années qui doivent multiplier les mérites ; soit que le corps, destiné à la peine et au travail, supporte plus aisément l'exercice et la fatigue, que l'indolence qui le flatte ; soit enfin que la Bonté de Dieu ait voulu inspirer aux hommes, par leur intérêt le plus cher, l'amour des vertus que la religion nous commande. Quoiqu'il en soit, le bonheur, objet de nos désirs les plus vifs, ne se présente au Martyr Religieux que dans une perspective éloignée et au bout d'une longue carrière qu'il doit parcourir en tremblant, puisqu'un instant de faiblesse peut lui ravir sa couronne.

Reiffenstuel, sæculo 18°, Jus Canonicum, L. III. Tit. 31, § 7, n. 187. Per Professionem Religiosam tolluntur quoad pœnam omnia peccata professi. si in statu gratiæ eam emittit : existenti tamen in peccato mortali primam gratiam non confert, nec tollit peccata quoad culpam, D. Thomas 2. 2. q. 189, art. 3, ad 3 ; Rodriquez Tom. 2, q. 88, a. 1 ; Miranda Tom. 1, q. 25, a. 8 ; asserens conclusionem esse certissimam, Sanchez Lib. 5 Moral. c. 5, n. 2 : Pelliz. Tom. 1, tract. 3, c. 4, n. 12 : Layman. Lib. 4, tract. 5, c. 10, n. 1, cum communi aliorum. Arg. can. Quis aliquando 87. §. His auctoritatibus, de Pœnit. dist. 1. ubi dicitur quod ingredientibus Religionem nulla amplius pro commissis criminibus pœnitentia sit injungenda. Concordat Novella 5. ubi Justinianus Imperator in princip. sic fatur : Conversa-

tionis Monachalis vita sic est honesta, sic commendare novit Deo ad hoc venientem hominem, ut omnem humanam ejus maculam detergat. Ubi Glossa v. Maculam explicat. id est. purgat a peccatis. Ratio est; quia quando homo tantum præstat, ut plus præstare nequeat, tunc ex meritis Christi plene satisfacit Deo pro peccatis suis; atqui hoc facit qui Professionem emittit, hoc ipso, quod non tantum cuncta sua bona, sed et animam et corpus divino obsequio in perpetuum offerat, juxta dicta superius § 1. Hinc SS. Patres, ut S. Hieronymus Epist. 8 et 25, S. Bernardus, lib. de Præcepto et dispens. ad fin., Professionem communiter vocare solent secundum Baptisma. Notant insuper DD., præsertim Sanchez loc. cit., Pelliz. loc. cit. Layman loc. cit.; Hanc, quæ per Professionem acquiritur, remissionem peccatorum, modo securiori, et perfectiori acquiri, quam per Indulgentiam, esseque ab hac distinctam. Rationem dant; quia Indulgentia est quædam concessio Papæ, causam concedendi, et alias conditiones requirens: at vero in Professione aliud non requiritur, quam ut subjectum sit capax; cum natura et præstantia ipsius operis per modum justæ cujusdam solutionis ex meritis Christi et remissionem peccatorum obtineat. Imo addunt Layman, Pelliz, loco cit., Sa v. Religio et alii contra Sanchez hanc plenariam omnium peccatorum remissionem obtineri, quoties Religiosus renovat Professionem suam etiam privatim: quod utique consolatorium est. Illud insuper certum est quod emittentes Professionem habeant Indulgentias plenarias ex concessione Summorum Pontificum, ut Pauli V, in Const. Romanus Pontifex, quæ est 21 in Bull. Cherub.

Ferraris († 1760), v. Regularis Professio. n. 98: Confertur perfectissima remissio omnium peccatorum, tam quoad culpam quam quoad pœnam; dummodo tamen profitens sit in statu gratiæ. Communis. S. Bernardus Sen. in Quadrages. Tract. 2, Serm. 24, art. 1, quoties Religiosus renovat Professionem etiam privatim.

S. Alphonsus De Liguorio († 1787). La véritable Epouse de Jésus-Christ. (Edition Dujardin. Œuvres Ascétiques T. X et XI). Tom. X. Ch. II, p. 45. Purgatur citius. On abrège son purgatoire. — S. Thomas enseigne que les Religieux, en faisant Profession, obtiennent la rémission de la coulpe et de la peine de tous les péchés qu'ils ont commis dans le siècle : Rationabiliter autem dici potest quod, etiam per ingressum Religionis, aliquis consequatur remissionem omnium peccatorum. Il en donne la raison : c'est que, par l'entrée en Religion, on se consacre entièrement au service de Dieu : In satisfactionem pro omnibus peccatis, sufficit quod aliquis se totaliter divinis obsequiis mancipet per Religionis ingressum, quæ excedit omne genus satisfactionis. Et il conclut en disant qu'on lit dans les Vies des Pères, que les Religieux reçoivent en ce jour la même grâce que ceux qu'on baptise : Unde legitur in Vitis Patrum, quod eamdem gratiam consequuntur Religionem intrantes, quam consequuntur baptizati (2. 2. q. 189. a. 3). — Ch. XV, § II, p. 499 : En outre, avant de finir l'oraison, il est bon de renouveler les vœux qu'on a faits dans sa Profession : c'est une chose très agréable à Dieu, puisque, par les vœux de Religion, on se donne tout à Lui : aussi, selon la doctrine de S. Thomas, la Religieuse, le jour de sa Profession, à cause de l'entière donation qu'elle fait d'elle-même à Dieu en vertu de ses vœux, par lesquels elle Lui consacre tout ce qu'elle a, ses biens, son corps et sa volonté, est absoute de tous ses péchés. Or, la même faveur semble accordée à celle qui renouvelle ses vœux de Religion avec un véritable esprit de dépouillement : c'est pourquoi je vous conseille de les renouveler souvent, non-seulement dans l'oraison commune, mais encore dans la communion, dans la visite au Saint-Sacrement, le matin en vous levant, et le soir en vous couchant.

— Tom. XI, Chap. XXII, § II, p. 163 : Pénétrée de cet esprit de dépouillement, Epouse bénie du Seigneur, ayez

soin de renouveler chaque jour vos vœux de pauvreté, de chasteté, et d'obéissance, avec l'intention de vous dépouiller de tout attachement aux biens, aux plaisirs et à votre propre volonté. Faites cet acte en peu de mots, afin que vous puissiez le répéter plus facilement et plus souvent ; il suffit de dire : Mon Jésus ! pour l'amour de Vous, je renouvelle mes vœux, avec la résolution de les observer exactement : je Vous prie de m'accorder la grâce d'y être fidèle.

Appendice : Résumé des vertus, etc. p. 239, nº 38 : Renouveler chaque jour les vœux de sa Profession. (In lucem datum anno 1760).

Tom. III, Traité de l'oraison mentale, p. 285 : Ajoutons que, si l'on a contracté quelque engagement particulier envers Dieu, par vœu ou autrement, il est bon de le renouveler avant de finir chaque oraison ; c'est en multiplier le mérite, et s'attirer de nouveaux secours pour persévérer et croître en grâce.

Tom. III. De la Retraite (in ultimis annis S. Doctoris), Pratiques diverses, IV, nº 56, p. 386: Dans l'Etat Religieux, avoir soin de renouveler chaque jour les vœux de sa Profession. — Les Docteurs enseignent qu'en renouvelant ses vœux de Religion, on gagne une Indulgence plénière, comme la première fois qu'on les fait.

Tom. XI. Avis aux Religieuses de T. S. Rédempteur, nº 29, p. 260 : Que chaque Religieuse observe exactement ses vœux, qui sont les liens qui l'attachent à Dieu. Elle fera bien de les renouveler toutes les fois qu'elle communie ; ce qui servira à renouveler sa ferveur, et à l'unir plus étroitement à Jésus-Christ (anno 1778).

Bouix (1857), De jure Regularium. Tom. 1, p. 4, c. 6, 1 p., p. 116 : Professionem emittens consequitur remissionem omnium peccatorum quoad culpam et quoad pœnam dummodo non sit in statu peccati mortalis. Ita tenent doctores communiter cum S. Thoma 2. 2. q. 189, a. 3 ad 3.

Van der Velden (1854) Principia Theologiæ Moralis Tom. 1, n. 243. Effectus Professionis gratiosi sunt: 1. Remissio omnium peccatorum quoad culpam et pœnam, modo professus sit in statu gratiæ. Ratio intrinseca ex eo habetur, quod vovens se totum divinis obsequiis, quantum est ex natura actus, voluntarie mancipet. 2. Extinctio omnium votorum ante emissorum. 3. Cessatio irregularitatis ex defectu natalium.

Scavini (1863) Tom. 1, tract. 3, cap. 3, ar. 3, n. 515. Effectus: Inter gratiosos Religiosæ Professionis effectus adnumerantur: 1. Remissio peccatorum quoad pœnam, si professus sit in gratia; nam hic est actus se totum divinis obsequiis mancipandi, qui excedit omne genus satisfactionis (S. Thomas 2. 2. q. 139, a. 3 ad. 3). — 2. Extinctio votorum ante emissorum, veluti per quamdam commutationem in melius (Imo attenta Decretali Bonifacii Octavi. Qui post votum, qui vovit ingredi Religionem stictiorem et profitetur in laxiori, peccat; sed liber remanet ab illo voto). Privilegium illud competit etiam congregationibus ubi non emittuntur vota solemnia, si verus sit Status Religiosus; quod si congregatio Status Religiosi essentiam non habeat, in ea Profitens non solvitur nisi a votis simplicibus quæ sint incompossibilia cum illo Statu. — 3 Cessatio irregularitatis ex defectu natalium.

D. Maurus Wolter (1880) Præcipua Ordinis Monastici Elementa, Proœmium. Declaratio. Quod attinet ad vota sive Evangelica consilia, quibus te Deo obstrinxisti, et ortum et sanctionem ducunt ab Ipsius Salvatoris doctrina et exemplo. Memor sis de te quoque esse dictum: Jesus autem intuitus eum dilexit eum et dixit ei: Veni sequere me (Marc. 10. 21). Fervidissimo igitur affectu et dilatato corde frequenter renova Professionem tuam (Cf. S. Gertrudis Exercit. 4. — Mos est apud multos, ut, antequam cubitum eant, flexis coram Deo genibus, sanctam Professionem renovent), felicissimum ac vere benedictum te judicans.

quem præ decies centenis millibus Deus elegit, ut sis Sanctus Domini Dei tui (Deut. 26. 19). Sine intermissione cumulatissimas age ac refer gratias cœlesti tuo Sponso, donec Angeli clament: Veni, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum. — SS. Doctores. Citantur: Dionysius Carthus. lib. de Prof. Monast. appendix, S. Thomas. 2. 2, q. 189, a 3 ad 3, S. Petrus Damianus, Opusc. 16, c. 8. S. Joannes Damascenus In historia Barlaam et Josaphat, c. 12, S. Bernardus libro de Præcepto et dispensatione, c. 17, n. 54.

N. B. Forsan et alia documenta desiderabuntur; nihilominus pro certo habeat lector benevolus auctorem sincere veritatis partes egisse, nec omisisse nisi quæ ad manum habere non potuerit, vel quæ in omnium manibus reperiuntur: v. g. *Rodriguez*, Christianæ perfectionis Exercitium, p. III, Tract. II, c. IV, VIII et IX; *Gautrelet*, Traité de l'Etat Religieux, p. I, chap. V, Art. IV, nº 6º, *Vitæ Spiritualis documenta*, ad usum Patrum et Fratrum Societatis Jesu, p. III, de æstimatione et amore vocationis Religiosæ, primo et secundo; etc...

PARS QUARTA.

Intrinseca praecipua argumenta quibus Religiosae Professionis valor satisfactorius defenditur.

SINCERA veritatis inquisitio sub pii lectoris oculos, quotquot doctrinæ documenta inveniri potuerint, hucusque fideliter adduxit. Virorum nominatorum sententiæ, attentionis dignæ revelationes, sacri ritus, necnon et jus canonicum, voce concordi, ab initio ad hanc usque diem clamant: Integram omnium pœnarum pro peccatis quoad culpam remissis debitarum condonationem consequitur Religionem pie Profitens.

Multis similitudinibus sententiam suam declarare curaverunt adducti testes: sic ex ipsorum dictis Religiosi sunt Angeli, a terrenis per castitatem separati; Prophetæ, præsentibus abrenuntiantes, futuris vero unice intenti: Apostoli, omnia relinquentes et Christum ducem sequentes. Inter omnes vero celebriores sunt similitudines illæ quibus Religionis Professionem nunc secundum Baptisma, nunc Martyrium, nunc Holocaustum esse affirmant. Quarum sensus ita patenter propositus, et ita sufficienter ab hæreticorum calumniis vindicatus esse apparet, ut hic ad trutinam denuo revocari minime debeat.

Stat ergo, antiquitatis constanti ad nos usque traditione suffulta, sequens generalis conclusio:

Religionis Professio, intimæ ac propriæ excellentiæ merito, minime vero ex cujuscumque externi privilegii, sive divini sive ecclesiastici, concessione, ad suam inter omnia satisfactoria opera præeminentiam provehitur, ita ut ex opere operantis plenissimam temporalis pœnæ, peccatis quoad culpam dimissis adhuc debitæ, condonationem consequatur. — Quæ sententia dicitur rationabilis

(D. Thomas), Theologorum communi consensu recepta (Hieronymus Platus), pie credita et Patrum testimonio innixa (Bellarminus), moraliter certa (Suarez), verissima (Sanchez), moraliter certa (Holzman), inter Ecclesiæ Patres constans (Richard), communis (Ferraris et Bouix), etc. Quis ergo, catholicorum doctorum unanimi sententia neglecta, argumentisque, quibus nihil efficaciter opponi valet, posthabitis, Wicleffi et Melanchtonis socius in partem negativam abire vellet !!

Admissa ergo hac generali conclusione, prout a Religionis exordio ad nos usque constanti traditione devenit, jam intrinsecam demonstrationem instituere licet. Hic autem labor eo lætiori et alacriori animo suscipiendus est, quo securius, certæ et in tuto positæ veritati magis magisque declarandæ, inserviet. Ipsa materia ordinem sequendum præscribere videtur: 1° dicendum est de satisfactione ingenere — 2° de Status Religiosi, qua opus satisfactorium, suprema excellentia — 3° de Religionis Professione, quæ Status Religiosi est janua, idem stabiliendum. — Quibus expletis, in appendice, nonnullarum quæstionum, quæ ex documentis afferuntur, solutio proponetur.

SECTIO PRIMA.

Doctrina de Satisfactione in genere.

Omni attendenti patet vim et efficaciam demonstrationis, quæ ponitur in secunda et tertia Sectione, a recta doctrinæ generalis de Satisfactione applicatione pendere omnino; unde doctrina hæc, ex probatissimis fontibus allata, primo loco ponitur. Numeri arabici, 1, 2, 3... 17 ad marginem positi, Synopsi totius doctrinæ de Satisfactione, quæ in fine hujus Sectionis reperitur, respondere invenientur.

1. Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi, ut scribit Apostolus ad Galatas (VI. 14). O Crux ave, spes unica! ut canit Ecclesia. Ut vero homo Crucis Christi virtutem experiatur, debet saltem aliquo modo Crucis particeps fieri, dicente iterum Apostolo: si tamen compatimur ut et conglorificemur (Rom. VIII, 17). Hæc optime proponit S. Bernardus, Sermone 28 de diversis: Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula (Ps. 14). Sed hæc, inquies, præparatio soli Christo convenire videtur... Licet enim solus, sed profecto totus intrabit, et os non comminuetur ex eo: non sine membris Caput invenitur in regno, si tamen membra fuerint conformia, et cohærentia scilicet Capiti suo; conformia sane moribus, cohærentia fide. Habet enim conformationem quam potest, habet et cohærentiam ipsa etiam junior ætas, dum et similitudini mortis Ejus mersione illa triplici complantatur, et fidem in involucro quodam recipit, quod necdum capax sit evolutæ. Benignus nimirum est Spiritus Sapientiæ, et quem traducta culpa ligaverat, indulta justitia solvit. Sed non ita deinceps liberabit maledictum a labiis suis: Voluntarie enim peccanti post agnitam gratiam non relinquitur hostia pro peccato (Hebr. X). Sed neque sic liberabit a suis quomodo ab alienis labiis maledictum. Maledictio, fratres, est gravis macula, et scimus quoniam: Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod de ore egreditur (Matth. XV). Inde ergo macula, inde maledictio a labiis suis, sed non semper a propriis. Neque enim de corpore vel corde proprio originalis in parvulum culpa procedit, cui non modo consensus, sed ne ullus quidem interim potest sensus esse peccati. Quomodo tamen maledictum a labiis suis non liberat Spiritus, aut voluntarie peccantibus non relinquitur hostia; nisi quia non illi denuo crucifigitur Christus, nec complantatur iterum similitudini mortis Ejus per Baptismum? Propria

jam ab eo lacrymarum unda exigitur, propriam bajulare crucem, propria mortificare membra, et propriam immolare hostiam necesse est. Sine causa aliter diceret, Credo ; propriis labiis expietur oportet propriorum maledictio labiorum : per multas tribulationes in regnum Dei intrare necesse est (Act. 14. 21) ; et nemo nisi per tribulationes ingreditur, aut proprias aut alienas.

Sola nimirum secundi Adæ tribulatio purgat, quos contaminavit offensio sola prioris ; non quod propria cuiquam sufficere possit satisfactio : Quid enim est universa pœnitentia nostra, nisi quod si non compatimur, omnino non possumus conregnare ? Quod enim in nobis minus est, Ipse supplet : modicum tamen illud quodcumque nostrum est, non patitur reservari. Quod si fidei cohærentia sine morum conformitate nequaquam salvat adultos, longe minus salvare poterunt opera sine fide. Facilius enim membrum inhærens Capiti, si deforme est, reformatur, quam divulsum quamlibet simile copulatur. Et ipsum tamen quod deforme est, aut conforme fieri imagini Filii sui et Capitis sui, aut certe tandem avelli ab Eo necesse est, et anathema esse a Christo, ne in illa plenitudine Corporis Ejus inveniatur quippiam indecorum. — Hucusque S. Bernardus.

2. Audiatur et D. Thomas, in 3 Sent. dist. 19, q. 1, a. 3, q. 2 in Solutione. Ad secundam quæstionem dicendum quod pœna temporalis dicitur per quam privatur aliquod bonum temporale quia bonum temporale non est natum manere semper. Hæc autem temporalis pœna in homine est duplex. (I et II).

3. I. Quædam quæ universaliter invenitur in tota humana natura, sicut necessitas moriendi, passibilitas, inobedientia carnis ad spiritum et hujusmodi : et hæc quidem pœna naturæ humanæ debetur ex originali peccato : nihilominus hujusmodi ex principiis naturæ consequuntur gratia innocentiæ destitutæ. Has igitur pœnas per suam

passionis pœnam Christus ab omnibus sufficienter exclusit, quamvis non efficaciter ab omnibus, scilicet illis qui Ejus passionis participes non sunt; nec tamen ita quod statim post passionem ab omnibus auferantur, vel ita quod auferantur ab illis, qui Sacramenta passionis Ejus percipiunt, statim post perceptionem Sacramenti: sed in fine mundi ab omnibus sanctis auferentur: quia istæ pœnæ debentur naturæ in qua omnes sunt unum; unde tunc non solum hominum, sed totius mundi natura reparabitur per resurrectionem: quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei (Rom. 8. 21).

4. II. Aliæ autem pœnæ sunt quæ aliquibus hominibus specialiter infliguntur; et hæ pœnæ dupliciter ad eos comparantur (ut vindicantes culpam, ut medicinæ).

5. A. Uno modo ut vindicantes culpam, secundum quod culpa facit debitum hujus pœnæ: et hoc modo Christus omnes istas pœnas sua morte quantum ad sufficientiam abstulit, removendo causam. Sed ad hoc quod aliquis his pœnis quantum ad efficaciam liberetur, exigitur quod passionis Christi particeps fiat: quod quidem contingit dupliciter. — Primo quidem per Sacramentum passionis, scilicet Baptismum, in quo consepelimur Christo in mortem, ut dicitur Rom. 6, in quo divina virtus quæ ineffaciam nescit, operatur salutem: et ideo omnis talis pœna in Baptismo tollitur. — Secundo aliquis fit particeps Christi per realem conformitatem ad Ipsum, scilicet in quantum Christo patiente patimur, quod quidem fit per pœnitentiam. Et quia hæc conformatio fit per nostram operationem, ideo contingit quod est imperfecta, et perfecta. Et quando quidem est perfecta secundum proportionem ad reatum culpæ, tunc pœna totaliter tollitur, sive hoc sit in contritione tantum, sive etiam sit in aliis partibus pœnitentiæ. Quando autem non est perfecta conformatio, tunc adhuc manet obligatio ad aliquam pœnam vel hic vel in purgatorio. Non tamen oportet quod sit conformatio ad passionem

Christi secundum experientiam tantæ pœnæ ad quantam aliquis obligatur ex culpa : quia passio Capitis in membra redundat ; et tanto plus, quanto est Ei aliquis per charitatem magis conjunctus ; unde ex vi passionis Christi diminuitur quantitas pœnæ ; et secundum hoc dicitur has pœnas auferre, in quantum eas diminuit.

6. B. Alio modo dictæ pœnæ comparantur ad eos quibus infliguntur, ut medicinæ : quia pœnæ sunt quædam medicinæ, ut dicitur II Ethic. c. 3, vel sibi, in quantum scilicet præservant a culpa, seu ad virtutem promovent ; vel aliis, in quantum scilicet est aliis exemplum, ut unus pro aliis, aliqualiter satisfaciat : et hoc modo per passionem Christi pœna temporalis non est neque totaliter ablata, neque diminuta, sed magis augmentata charitate crescente, quantum ad præsentem statum, in quo et peccare possumus, et proficere nobis et aliis : sed in futuro, quando erit terminus viæ, omnino pœna tollitur per virtutem passionis Christi. — Hucusque D. Thomas.

7. Per pœnitentiam ergo satisfaciendum est realiter pro pœna in culpæ vindictam post Baptismum inflicta, et multo magis pro pœna ut medicina inflicta. In commentario suo ad Rom. c. XI, lect. 14, scribit idem S. Doctor : Sed dicendum est, quod duplex est pœnitentia : interior et exterior. — Interior quidem consistit in contritione cordis, qua quis dolet de peccatis præteritis ; et talis pœnitentia requiritur in Baptizato : quia, ut Augustinus dicit in l. de Pœnit. c. II, „ nemo suæ voluntatis arbiter constitutus, potest novam vitam inchoare, nisi pœniteat eum veteris vitæ : alioquin fictus ad Baptismum accedit ". — Exterior vero pœnitentia consistit in exteriori satisfactione, quæ a Baptizato non requiritur, quia per gratiam baptismalem liberatur homo non solum a culpa, sed etiam a tota pœna per virtutem passionis Christi qui pro peccatis omnium satisfecit, sicut supra VI, 3 dictum est : Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte Ipsius baptizati

sumus. Unde dicitur, Tit. III, 5: Per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, Quem effudit in nos abunde.

Sed cum claves Ecclesiæ et omnia Sacramenta in virtute passionis Christi operentur, videtur quod pari ratione omnia alia Sacramenta liberent hominem a culpa, et a tota pœna. Cui objectioni ibidem satisfacit D. Thomas: Sed dicendum est, quod passio Christi operatur in Baptismo per modum cujusdam regenerationis, quæ requirit ut homo totaliter priori vitæ moriatur, ad hoc ut novam vitam accipiat; et ideo tollitur in Baptismo totus reatus pœnæ qui pertinet ad vetustatem prioris vitæ. Sed in aliis Sacramentis operatur virtus passionis Christi per modum sanationis, ut in Pœnitentia. Sanatio auten non requirit ut statim omnis infirmitatis reliquiæ auferantur.

8. In hisce pœnitentiæ duobus elementis, pœnitentia interior, seu contritio cordis principaliorem tenet locum, — vel quia ne in Baptismo quidem adulti abesse sinitur; — vel quia sine illa exterior pœnitentia non est Deo accepta: Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra (Joël. II, 13); — vel quia contritio cordis ad tantam perfectionem pertingere potest, ut absque exteriori pœnitentia ad satisfaciendum pro pœnis vindicantibus sufficiat; — vel quia quo magis crescit cordis contritio, eodem etiam modo exterioris pœnitentiæ ejusdem crescit meritum.

9. Sed unde tanta vis in contritione cordis, ut, ea deficiente, pœnitentia externa jam non sit satisfactio sed mera tantum vindicatio?

Videtur tanta vis ex charitate promanare, quæ charitas in contritione semper adesse debet, ita ut saltem initialis in ipsa attritione requiratur. Charitate enim nihil fortius (1):

---

(1) Verba S. Augustini referre juvat (In Joan. tract. 65, n. 1): « Nemo moritur ibi, quo nemo pervenit, nisi huic sæculo moriatur, non morte omnium, qua corpus ab anima deseritur, sed morte electorum, qua etiam cum in carne mortali adhuc manetur, cor sursum

Fortis est ut mors dilectio (Cant. VIII, 6), Charitas operit multitudinem peccatorum (I Pet. IV, 8); et ideo: Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem (I Joan. IV. 18), quoniam timor pœnam habet: qui autem timet non est perfectus in charitate. Et quid mirum siquidem Deus charitas est: et qui manet in charitate. in Deo manet, et Deus in eo (I Joan. IV, 16)?

10. Quænam diversa in satisfactione inveniri debeant?

Hæc exponit D. Thomas in Suppl. 3. p. q. 12, a. 3, in c: Respondeo dicendum quod justitia non ad hoc tantum tendit ut inæqualitatem præcedentem auferat puniendo culpam præteritam, sed etiam ut futuram æqualitatem custodiat, quia secundum Philosophum, in II Ethic. c. 3 a princ: pœnæ medicinæ sunt. Unde et satisfactio, quæ est justitiæ actus pœnam inferentis, est medicina curans peccata præterita, et præservans a futuris. Et ideo quando homo homini satisfacit, et præterita recompensat, et de futuris cavet. Et secundum hoc dupliciter potest satisfactio definiri: — 11. Uno modo respectu culpæ præteritæ, quam recompensando curat, et sic dicitur quod satisfactio est illatæ injuriæ recompensatio secundum justitiæ æqualitatem [In his autem honoribus qui sunt ad Deum impossibile est æquivalens reddere secundum quantitatem, sed sufficit ut homo reddat quod potest, quia amicitia non exigit æquivalens. sed quod possibile est: et hoc etiam est æquale aliqualiter. scilicet secundum proportionalitatem, quia sicut se habet hoc quod Deo est debitum, ad Ipsum

---

ponitur. De quali morte dicebat Apostolus, Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo (Colos. 3. 3). Hinc fortasse dictum est, Valida est sicut mors dilectio (Cant 8. 6). Hac enim dilectione fit ut in isto adhuc corruptibili corpore constituti moriamur huic sæculo, et vita nostra abscondatur cum Christo in Deo, imo ipsa dilectio est mors nostra sæculo, et vita cum Deo. Si enim mors est quando de corpore anima exit, quomodo non est mors quando de mundo amor noster exit? Valida est ergo sicut mors dilectio. Quid ea validius, qua vincitur mundus?

Deum, ita hoc quod iste potest reddere ad ipsum: et sic aliquo modo forma justitiæ conservatur. Unde non potest homo Deo satisfacere, si ly „satis" æqualitatem quantitatis importet: contingit autem si importet æqualitatem proportionis, ut dictum est: et hoc sicut sufficit ad rationem justitiæ, ita sufficit ad rationem satisfactionis. Præterea, sicut offensa habuit quamdam infinitatem ex infinitate divinæ Majestatis, ita etiam satisfactio accipit quamdam infinitatem ex infinitate divinæ Misericordiæ, prout est gratia informata, per quam acceptum redditur quod homo reddere potest. Ita D. Thomas Sup. 3 p. q. 13. art. 1]: et in idem dicitur redire definitio Anselmi (lib. I Cur Deus homo, c. XI) qui dicit quod „satisfacere est honorem debitum Deo impendere", ut consideretur debitum ratione culpæ commissæ. — 12. Alio modo potest definiri, secundum quod præservat a culpa futura: et sic definit eam hic Augustinus (Gennadius, libr. de ecclesiastic. dogmat. c. XXV: „Satisfactio est peccatorum causas excidere, et eorum suggestionibus aditum non indulgere"). Præservatio autem a morbo naturali fit per ablationem causarum quibus morbus consequi potest: eis enim ablatis, non potest morbus sequi. Sed in morbo spirituali non est ita, quia liberum arbitrium non cogitur: unde causis præcedentibus potest vitari, quamvis difficulter, causis amotis potest incurri. Et ideo in satisfactionis definitione duo ponit, — scilicet abscissionem causarum quantum ad primum, — et renitentiam liberi arbitrii ad ipsum peccatum quantum ad secundum.

13. Ut autem hæc præstet satisfactio, debet satisfaciens existere in charitate, quia in satisfactione oportet quod amicitia restituta, etiam justitiæ æqualitas restituatur, cujus contrarium amicitiam tollit, ut Philosophus in IX Ethic. c. IV dicit. Æqualitas autem in satisfactione ad Deum, non est secundum æquivalentiam, sed magis secundum acceptionem Ipsius. Et ideo oportet quod etiamsi

offensa sit dimissa per præcedentem contritionem, opera satisfactoria sint Deo accepta, quod dat eis charitas. Et ideo sine charitate opera facta non sunt satisfactoria. (ibid. q. 14, a. 2).

14. Operum ipsorum naturam sic determinat Angelicus Doctor (ibid. q. 15, a. 1): Respondeo dicendum, quod satisfactio, ut dictum est, respectum habet — et ad præteritam offensam, pro qua recompensatio fit per satisfactionem, — et etiam ad futuram culpam, a qua per eam præservamur. Et quantum ad utrumque exigitur quod satisfactio per opera pœnalia fiat. Recompensatio enim offensæ importat adæquationem, quam oportet esse ejus qui offendit ad eum in quem offensa commissa est. Adæquatio autem in humana justitia attenditur per subtractionem ab uno qui plus habet justo, et additionem ad alterum cui subtractum est aliquid. Quamvis autem Deo, quantum est ex parte Ejus, nihil subtrahi possit, tamen peccator, quantum in ipso est, aliquid Ei subtraxit peccando, ut dictum est. Unde oportet ad hoc quod recompensatio fiat, quod aliquid subtrahatur a peccante per satisfactionem, quod in honorem Dei cedat. Opus autem bonum, ex hoc quod est hujusmodi non subtrahit aliquid ab operante, sed magis perficit ipsum. Unde subtractio non potest fieri per opus bonum, nisi pœnale sit. Et ideo ad hoc quod aliquod opus sit satisfactorium, oportet quod sit bonum, ut in honorem Dei sit; — et pœnale ut per hoc aliquid peccatori subtrahatur. — Similiter etiam pœna a culpa futura præservat, quia non facile homo ad peccata redit ex quo pœnam expertus est. Unde secundum Philosophum l. c. pœnæ medicinæ sunt.

15. Duo ergo occurrunt in satisfactione, bonitas et simul pœnalitas operis. Dubitari autem potest, ait DE LUGO, de Pœnit. disp. 24, Sect. 3, n. 33, utrum major bonitas voluntatis, ex qua procedit castigatio, augeat valorem satisfactionis, ita ut plus satisfaciat flagellatio, vel eleemosyna procedens ex actu voluntatis honesto ut octo, quam idem

opus procedens ex voluntate honesta ut quatuor. Ratio dubitandi esse potest: quia ad meritum consideratur difficultas actus; ad satisfactionem vero pœnalitas ut dixit S. Thomas in IV, dist. 15, q. 1, a 4; ergo non crescente pœnalitate, non crescit satisfactio in ratione satisfactionis, sed solum in ratione meriti.

Respondetur tamen affirmative: quod fatetûr etiam Suarez in præsenti disp. 37, Sect. 6, n. 9. Et probari potest ex dictis: Primo, quia opus non satisfacit solum ut pœnale, sed etiam ut honestum; ita ut deficiente honestate, non sit satisfactorium: ergo crescente honestate, crescere etiam debet efficacia ad satisfaciendum. Quod exemplis ostendi potest: nam Professio Religiosa, v. g., teste S. Thoma 2. 2. q. 189, a 3, ad 3, affert secum expiationem totius pœnæ temporalis debitæ: et hoc quidem ex opere operantis, teste eodem in IV, dist. IV, q. 3 ad finem, nempe, propter excellentiam actionis, ut colligitur ex c. Admonere 33, q. 2; et tamen non habet ille actus multum pœnalitatis formaliter. Item eleemosyna est magis satisfactoria, quam jejunium, juxta communem theologorum doctrinam, licet majorem pœnalitatem afferat jejunium; ergo major bonitas reddit actum magis satisfactorium. Ratio denique est: quia castigatio, ut diximus, non placat, nisi ut informata affectu, quo peccator vult se laudabiliter castigare: ergo quo laudabilius vult, eo magis placat, crescente forma, a qua habet ejusmodi activitatem placandi.

16. Ibidem nº 37 concludit: Dico primo, si esset opus honestum nullo modo pœnale, non videtur quod esset satisfactorium de condigno pro debito pœnæ. Et n. 41 prosequitur: Dico secundo. De facto omnis nostra operatio meritoria est simul satisfactoria: quia omnis de facto pœnalis est: et sicut omnis satisfactio est simul meritoria, quia debet procedere ex actione laudabili et honesta, ut diximus; sic etiam e contra omnis actio meritoria est

satisfactoria, quia affert secum aliquam pœnalitatem.... Et nº 42, Ratio est quia nullum est opus honestum, quod non adversetur alicui bono, vel delectabili, vel utili, vel afferat aliquod malum secum, alioquin non esset liberum, si esset merum bonum ex parte objecti, et in exercitio ipsius actus: affert ergo semper aliquid difficultatis vincendæ: quod quidem etiam in iis operibus, quæ maxime videntur esse juxta propensionem naturæ, locum habet: nam licet in manducatione, aut potu, v. g. non sit difficultas homini famelico, aut sitibundo; in ipsa tamen rectificatione intentionis difficultas maxima est Hæc de Lugo.

17. Tandem convenienter tria satisfactoria opera enumerantur, quæ sic a D. Thoma Sup. 3 p, q. 15, a 3 explicantur: Respondeo dicendum quod satisfactio debet esse talis per quam aliquid nobis subtrahamus ad honorem Dei. — Nos autem non habemus nisi tria bona, scilicet bona animæ, bona corporis et bona fortunæ, scilicet exteriora. Ex bonis quidem fortunæ subtrahimus nobis aliquid per eleemosynam; sed ex bonis corporis per jejunium; ex bonis autem animæ non oportet quod aliquid subtrahamus nobis quantum ad essentiam, vel quantum ad diminutionem ipsorum, quia per ea efficimur Deo accepti: sed per hoc quod ea submittimus Deo totaliter, et hoc fit per orationem.

Competit etiam iste numerus ex parte illa qua satisfactio peccatorum causas excidit, ut dictum est, quia radices peccatorum tres ponuntur I Joan. II, 16, scilicet concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. Contra concupiscentiam carnis ordinatur jejunium; contra concupiscentiam oculorum ordinatur eleemosyna; contra superbiam vitæ ordinatur oratio, ut Augustinus dicit super Matthæum.

Competit etiam quantum ad hoc quod satisfactio est peccatorum suggestionibus aditum non indulgere, quia omne peccatum vel in Deum committimus, et contra hoc ordinatur

oratio ; vel in proximum, et contra hoc ordinatur eleemosyna ; vel in nosmetipsos, et contra hoc ordinatur jejunium.

Synopsis doctrinæ de satisfactione supra traditæ per modum conclusionis brevissime proponitur lectori benevolo. Dictis enim constat :

1. Hominem ab omni pœna per passionis Christi virtutem liberari ;

2. Temporales pœnas duplices distingui : quarum priores in tota humana natura inveniuntur, posteriores vero aliquibus hominibus infliguntur ;

3. Hominem sanctum a pœnis humanæ naturæ debitis nonnisi in resurrectione liberari ;

4. Pœnas temporales aliquibus hominibus inflictas etiam duplices distingui : quarum priores ut vindicantes culpam, posteriores ut medicinæ infliguntur ;

5. Hominem justificatum a pœnis vindicantibus liberari conformatione Christo patienti, vel sacramentali ut in Baptismo, vel reali simul ut in Pœnitentia :

6. Hominem justum a pœnis medicinalibus in fine vitæ tantum liberari ;

7. In homine pœnitentiam agente duplicem distingui pœnitentiam : quarum prior est interior, et in contritione cordis consistit : posterior vero est exterior et ex variis externis operibus constat ;

8. In hisce duobus pœnitentiæ elementis, cordis contritionem partem potiorem esse ;

9. Ex adjuncta sibi charitate hanc potiorem partem obtinere ;

10. Satisfactionem inæqualitatem præteritam auferre, futuram præcavere ;

11. Præteritam auferre, recompensando secundum justitiæ æqualitatem ;

12. Futuram præcavere, peccatorum causas excidendo, suggestionibusque aditum non indulgendo :

13. Hæc nonnisi ex charitatis conjunctione præstare satisfactionem ;

14. Quamcumque satisfactionem, vindicativam et medicinalem, in opere bonitatem simul ac pœnalitatem requirere;

15. Crescente bonitate operis, licet eadem manente ejus pœnalitate, pari ratione satisfactionem crescere;

16. De facto omne opus bonum simul pœnale et satisfactorium existere;

17. Tria opera satisfactoria, orationem, eleemosynam et jejunium, convenienter enumerari; sive præteritorum peccatorum vindicativa satisfactio attendatur; sive futurorum medicinalis, vel per causarum excisionem, vel per suggestionum aditus denegationem, spectetur.

SECTIO SECUNDA.

Status Religiosi, qua opus satisfactorium, suprema excellentia.

Jam ex præcollectis documentis extrinsecam evidentiam obtinuit præsens propositio. Recolantur præcipue quæ ex jure Canonico prolata sunt, quibus addi potest cap. Hoc nequaquam, Decreti, II parte, causa 7, q. 1, cap. 45: „Hoc nequaquam apud nos habetur, ut quicumque de Pontificali Ordine ad Monachorum, id est pœnitentium descenderit vitam, ulterius possit ad Pontificatum reverti. Item. Præcipit sancta Synodus, ut quicumque de Pontificali dignitate ad Monachorum vitam, et ad pœnitentiæ descenderit locum, nequaquam jam ad Pontificatum resurgat." Ubi apparet Religionem esse locum pœnitentiæ, juxta Ecclesiæ mentem, ita ut etiam quidam exinde negandi Religionem esse Statum perfectionis occasionem acceperint. Quorum errorem sic refellit D. Thomas, II. II^{æ}, q. 186, a. 1, ad 4: Ad quartum dicendum quod Religionis Status principaliter est institutus ad perfectionem adipiscendam

per quædam exercitia, quibus tolluntur impedimenta perfectæ charitatis. Sublatis autem impedimentis perfectæ charitatis, multo magis exciduntur occasiones peccatorum, per quod totaliter tollitur charitas. Unde cum ad pœnitentiam pertineat causas peccatorum excidere, ex consequenti Status Religionis est convenientissimus pœnitentiæ locus. Unde in Decret. 33. q. 2, c. Admonere, consulitur cuidam qui uxorem occiderat, ut potius Monasterium ingrediatur, quod dicitur esse melius et levius, quam quod pœnitentiam publicam agat, remanendo in sæculo.

Nunc ergo ad propositionis veritatem in semetipsa introspiciendam descendendum est, quo examine patebit Religiosum Statum sive ratione pœnalitatis, sive ratione bonitatis, omnia alia ad satisfaciendum opera longe superare. Sed ab omnibus accipitur per alia opera posse satisfieri, ergo a fortiori accipendum erit per Religiosum Statum, qui omnia alia superat, satisfieri. Aliunde receptum est generale principium: Qui omne quod potest facit, ille satisfecisse censetur. Sed Religiosus Status est holocaustum omnium bonorum quæ homo in terra possidet, et holocaustum quidem perpetuum; ergo et Religiosus Status satisfecisse censendus est.

Hic non externus tantum, sed et internus simul, sincerus et omni fictione alienus Religionis Status intelligitur. Externus enim, coram hominibus, ad quosdam effectus externos, sufficere potest; sed internus coram Deo Qui intuetur cor, ad effectum debitæ satisfactionis præstandæ, una cum externo requiritur. Quod semel monuisse sufficiat.

A. Religionis Status omnia opera satisfactoria superat ratione pœnalitatis.

Pœnalitas Religiosi Status in ordine ad satisfaciendum, multipliciter considerari potest: 1° ut cordis contritione

cum sibi adjuncta charitate informata; 2° ut privationes omnes complectens; 3° ut præteritæ injustitiæ efficax recompensatio; 4° ut futuræ apta medicina. Unde:

I. Religionis Status CORDIS CONTRITIONE cum adjuncta CHARITATE informatur. Et primo quidem cordis contritione informari probatur. Religiosa Professio, status mutationem constituit, et perpetuam quidem, quia perpetuis votis voventem adstringit. In Christi Ecclesia duplici gradu stare potest homo: uno quidem quo per Baptismum se ad Evangelicam Legem obligat, qui gradus de præcepto divino esse cognoscitur: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur (Marc. 16, 16); — altero vero quo per votorum in Religione approbata emissionem se non jam ad Legem tantum sed et ad Evangelica consilia obligat, qui secundus gradus libera electione ascenditur: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est... Qui potest capere capiat (Matth. 19, 11 et 12); sed a votorum emissione voventi fit in præceptum: Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim Ei infidelis et stulta promissio. Sed quodcumque voveris redde: multoque melius est non vovere, quam post vota promissa non reddere (Eccles. 5, 3 et 4); ita ut vovens ad morum conversionem teneatur, nec ullo prætextu ad sæculares mores deinceps descendere ipsi adhuc liceat. Quæ omnia in allatis documentis et specialius in Monasticis Ecclesiasticisque Ritibus satis fuerunt exposita, ut hic non sint denuo proferenda. Ergo huic tam notabili status mutationi applicari valet S. Augustini dictum: „neminem suæ voluntatis arbritrum constitutum posse novam vitam inchoare, nisi pœniteat eum veteris vitæ," unde nec in ipsa manere.

Secundo vero etiam charitate informari probatur Religiosus Status. Etenim omnis contritio adjunctam habet charitatem saltem initialem, ut de attritione jam supra dictum est. Sed et alia via charitatem in Religioso Statu

adesse facile demonstratur. Duo extrema homini proponuntur: Cœlum et infernum; vita charitatis nunquam excidentis (I Cor. 3, 8) quam in sponsa ordinavit Sponsus (Cant. 2, 4); — mors odii sempiterni, quia in inferno umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat (Job. 10, 22). Quid enim nisi odii inordinati mors sempiternusque horror remanet iis quibus a Deo, Qui charitas est, dicitur: Discedite a Me maledicti, in ignem æternum (Matth. 25, 41)! Jam vero in præsenti sæculo duo hæc, absque intermedio, proponuntur: Qui non est Mecum, contra Me est (Matth. 12, 30). 4. Manete in Me: et Ego in vobis... 6. Si quis in Me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet... 9. Manete in dilectione mea. 10 Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea (Joan. 15). Ut autem nemo se mundum et Deum simul diligere posse credat, monet idem benignus Salvator: Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit, et alterum diliget; — aut unum sustinebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et mammonæ (Matth. 6, 25). Quæ præclare exponit S. Augustinus, lib. de Sermone Domini in monte, c. 14: Aut ergo hunc odio habebit homo, et alterum diliget, id est, Deum; aut alterum patietur, et alterum contemnet. Patitur enim durum et perniciosum dominum, quisquis servit mammonæ; sua enim cupiditate implicatus, subditur diabolo: et non eum diligit; quis enim est qui diligat diabolum? sed tamen patitur... Alterum autem contemnet, dixit; non odio habebit. Nullius enim fere conscientia Deum odisse potest: contemnit autem, id est, non timet Eum, quasi de Ejus Bonitate securus est.... Sed quisquis vult diligere Deum, et cavere ne offendat, non se arbitretur duobus dominis posse servire et intentionem cordis sui ab omni duplicitate explicet: ita enim sentiet de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quæret Illum (Sap. 1. 1). — Huc etiam faciunt sententiæ S. Jacobi, 4, 4:

Nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Dei; et S. Joannis, 1 Ep. 2, 15 : Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt: si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo ; et c. 3, 14 : Qui non diligit, manet in morte.

Religionem autem Professus non solum mundi divitiis cor non apponit (Ps. 61), sed insuper, quantum præsentis viæ necessitates patiuntur, ipsas quam longissime a se repellit. Ergo jam removetur charitatis obstaculum. Quod si petatur quam ob causam charitatis obstaculum tam absolute a se removeat Religionem Professus, unicuique patet responsio, Quia perfectissimo modo charitatis viam inire intendit : summa enim prudentia id diligere elegit quod diligendum est. De qua electione tractans audiatur S. Augustinus, Epist. 155 (antiq. 52), n. 13:... Quid autem eligamus quod præcipue diligamus, nisi quo nihil melius invenimus? Hoc Deus est, Cui si diligendo aliquod vel præponimus, vel æquamus, nos ipsos diligere nescimus. Tanto enim nobis melius est, quanto magis in Illum imus, Quo nihil melius est. Imus autem non ambulando, sed amando. Quem tanto habebimus præsentiorem, quanto eumdem amorem quo in Eum tendimus, potuerimus habere puriorem : nec enim locis corporalibus vel extenditur, vel includitur. Ad Eum ergo Qui ubique præsens est et ubique totus, non pedibus ire licet, sed moribus. Mores autem nostri, non ex eo quod quisque novit, sed ex eo quod diligit, dijudicari solent: nec faciunt bonos nec malos mores, nisi boni vel mali amores. Pravitate ergo nostra, a Rectitudine Dei longe sumus : unde Rectum amando corrigimur, ut Recto recti adhærere possimus.

Item. n. 14. Ad Illum ergo quanta opera possumus, etiam illi ut perveniant agamus, quos tanquam nosmetipsos diligimus, si nosmetipsos diligere, Illum diligendo, jam novimus. Christus namque, id est Veritas, dicit in his duobus præceptis totam Legem Prophetasque pendere, ut diligamus Deum ex toto corde, ex tota mente, et diligamus

proximum tanquam nosmetipsos (Matth. 22, 37-40). Proximus sane hoc loco, non sanguinis propinquitate, sed rationis societate pensandus est, in qua socii sunt omnes homines. Nam si pecuniæ ratio socios facit, quanto magis ratio naturæ, non negotiandi, sed nascendi lege communis!.. 15. Cum ergo illa dilectione quam divina lex imperat, debeat homo diligere Deum, et seipsum, et proximum; non tamen ex hoc tria præcepta data sunt, nec dictum est, In his tribus, sed, In his duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ, id est in dilectione Dei ex toto corde, ex tota anima, et ex tota mente, et proximi tanquam suiipsius: videlicet ut intelligeretur nullam esse aliam dilectionem qua quisque diligit seipsum, nisi quod diligit Deum. Qui enim aliter se diligit, potius se odisse dicendus est: fit quippe iniquus, privaturque luce justitiæ, cum a potiore ac præstantiore Bono aversus, atque inde vel ad seipsum conversus, ad inferiora et egena utique convertitur; fitque in ipso quod veracissime scriptum est, Qui autem amat iniquitatem, odit animam suam (Ps. 10, 6). Quia igitur nemo, nisi Deum diligendo, diligit seipsum; non opus erat ut dato de Dei dilectione præcepto, etiam seipsum homo diligere juberetur, cum in eo diligat seipsum, quod diligit Deum. Debet ergo et proximum diligere tanquam seipsum, ut quem potuerit hominem vel beneficentiæ consolatione, vel informatione doctrinæ, vel disciplinæ coërcitione adducat ad colendum Deum: sciens in his duobus præceptis totam Legem Prophetasque pendere. Hucusque S. Augustinus.

Jam vero Religionem Professo sua abnegare non sufficit, sed etiam semetipsum abnegare intendit quo perfectiorem consequatur charitatem. Hanc suiipsius abnegationem ad perfectam requiri charitatem idem S. Augustinus, Serm. 34, n. 7 sic exponit:... Si vis habere charitatem, quære te, et inveni te. Quid enim times dare te, ne consumes te? Imo si te non dederis, perdis te... Audi quid tibi dicat ex ore Sapientiæ

Charitas : Da Mihi, fili, cor tuum (Prov. 23, 26). Male erat quando a te erat, quando tibi erat : per nugas enim et amores lascivos perniciososque trahebaris. Tolle inde. Ubi trahis ? ubi ponis ? Da Mihi, inquit, cor tuum. Sit Mihi, et non perit tibi. Vide enim, si aliquid voluit dimittere in te, unde ames vel te, Qui tibi dicit. Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, et ex tota mente tua (Matth. 22, 37). Quid remanet de corde tuo, unde diligas te-ipsum ? Quid de anima tua ? Quid de mente tua ? Ex toto, inquit. Totum exigit te, Qui te fecit. Sed noli tristis esse, quasi nihil unde gaudeas remaneat in te. Lætetur Israël, non in se, sed in Eo Qui fecit eum (Ps. 149). — 8. Respondebis, et dices, Si nihil mihi remansit, unde diligam me,... quomodo secundo præcepto jubeor diligere proximum tanquam me? Hoc est magis unde debes ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente proximo. Quomodo ?... Deum ex toto me, proximum sicut me. Unde me, unde te ? Vis audire unde diligis te ? Ex hoc diligis te, quia Deum diligis ex toto te. Putas enim Deo proficere, quod diligis Deum ? et quia diligis Deum, Deo aliquid accedit ? et si tu non diligas, minus habebit ? Cum diligis, tu proficis ; tu ibi eris, ubi non peris. Hæc sanctus Doctor.

Hæc probe novit, quisquis est Religionem Professus ; hæc toto animo Dei gratia præveniente et comitante, prosequitur, quisquis fuit sincerus in emittendis votis, et fideliter quotidie vota sua Deo reddere curat sciens Cui crediderit firmiter. Quin imo infra ex divo Thoma probabitur Religionis Statum ipsam charitatem ad summun perducere.

II. Religiosus Status CÆTERA OPERA SATISFACTORIA SUPERAT, ut omnes complectens privationes. Tripliciter autem dici potest privationes omnes complectere : ratione operum satisfactoriorum generum, ratione in unoquoque genere extensionis, ratione pariter durationis.

Et primo OMNIA satisfactoriorum operum GENERA in

Religionis Statu assumi facili evidentia omnibus elucet. Etenim in voto paupertatis vovens dimittit bona externa, in omni dispositione per regiam cœlestemque charitatem ductus ; et sic invenitur in Professo eleemosynæ exercitium ; — in voto castitatis, quod mortificatione congrua munire satagit, vovens dimittit bona corporis non necessaria ad corporis sustentationem ; et sic invenitur in Professo jejunii exercitium ; — in voto obedientiæ, vovens propriam voluntatem Deo per manus legitimi Superioris immolat; et sic invenitur in Professo abnegatio propriæ voluntatis quæ potius in oratione exercetur. Adsunt ergo cujuscumque generis privationes quæ operis satisfactorii pœnalitatem constituunt.

Secundo Religionis Status UNUMQUODQUE satisfactionis GENUS SUMME CONTINET ratione extensionis. Etenim eleemosyna dimittit bona externa quædam superflua ; voto autem paupertatis vovens dimittit omnia bona externa, quoad proprietatem et quoad usum, nulla posita limitatione, nisi quæ per ecclesiasticas leges statuitur ; — jejunium dimittit certa alimenta, certis horis ; voto autem castitatis vovens dimittit omnes corporis voluptates, nihil sibi reservans, nisi quod sustentationi congruere juxta Ordinis Sanctam Regulam et Constitutiones a Superioribus judicatum fuerit ; — oratio submittit Deo voluntatem orantis tempore et pro materia orationis ; voto obedientiæ, vovens voluntatem suam quoad omnes actus divino servitio mancipat. Ergo extensione sua in unoquoque pœnalitatis genere omnes alias satisfactiones longe superat Religionis Status.

Tertio tandem DURATIONE OMNES privationes ANTECELLIT Religionis Status. Vota enim sunt perpetua : voto paupertatis non tantum præsentia, sed etiam futura eventualia abjecit Professus, sibi, in quantum sinit S. Mater Ecclesia, ipsam etiam acquirendi capacitatem adimens ; — voto castitatis omnes totius vitæ non necessarias voluptates

corporis abjecit ; — voto obedientiæ Deo omnes actus usque ad mortem devovit. Jure merito ergo concluditur Religionis Statum omnia opera satisfactoria superare, quia omnis generis, vastissimæ extensionis, et perpetuæ durationis privationes complectitur.

III. Religiosus Status, ut PRÆTERITÆ per peccatum INJUSTITIÆ RECOMPENSATIO, omnes satisfactiones etiam longe superat. Quod triplici consideratione stabiliri potest, ratione sufficientiæ, ratione convenientiæ, ratione divinæ acceptationis.

Primo quidem ratione SUFFICIENTIÆ. Agitur non de sufficientia æqualitatis perfectæ, sed de illa quæ a justo requiritur supplente Christi passione. Scriptura constat peccata per eleemosynas redimi posse ; Daniel IV, 24, Peccata tua eleemosynis redime. — Eccl. III, 33, Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosyna restitit peccatis. Ubi Ambrosius : Eleemosyna, inquit, quodammodo est aliud animarum lavacrum, ut, si quis forte post Baptismum humana fragilitate deliquerit, supersit ei ut iterum eleemosynis emundetur. — Luc. XI, 41, Verumtamen quod superest, Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis. — Tobias IV, 11, Quoniam eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras. — Prov. XV, 27, Per misericordiam et fidem purgantur peccata. — Luc. XIX, 8, Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum : Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus... 9. Ait Jesus ad eum : Quia hodie salus domui huic facta est... — Sed Eleemosyna nonnisi bonis externis privat ; Religiosus Status vero, externis, corporis, et animæ ; - eleemosyna partem de superfluo tantum tradit ; Religiosus Status totum, ne necessariis quidem exceptis ; - eleemosyna in actu transeunte adimpletur ; Religiosus Status vitam integram divino servitio mancipat. — Scriptura sacra etiam constat peccata per Sacrificia redimi posse, ut videre est v. g. in Levitico,

capite IV; sed in Sacrificiorum genere eminet Holocaustum: Holocaustum est et oblatio suavissimi odoris Domino (Lev. I, 17). In veteri autem Lege externa et vilis victima in Holocausto immolabatur; in Religionis Statu, omnia externa bona, ac corporis, ipsiusque animæ bona per diuturnam immolationem in Dei honorem consumuntur. — Scriptura sacra constat peccata per orationem redimi posse: Eccli. III, 4, Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, et continebit ab illis, et in oratione dierum exaudietur. — Ibidem, VII, 8, Neque alliges duplicia peccata: nec enim in uno eris immunis. 9. Noli esse pusillanimis in animo tuo: 10, Exorare, et facere eleemosynam ne despicias. In oratione enim digna et congrua pro peccato recompensatio Deo offertur: peccando, voluntate propria superbe abutitur homo, licet Dei servus; orando, eamdem voluntatem humiliter legitimo suo Domino submittit. Hæc autem voluntatis humilis submissio inest in omni vera oratione, uti ex Oratione Dominica constat, in qua et gloria Deo procuranda, et regnum Ipsius a nobis participandum, a divinæ Voluntatis impletione pendere tertia petitione „ fiat Voluntas tua..." docetur Christi discipulus. Inde S. Bernardus, libro de natura divini amoris. c. III, n. VIII, orationem perfectam describens ait: „ in qua tam benigna humilitas, ut in omnibus non suam, sed Dei Voluntatem in se fieri præoptet." Privatio propriæ voluntatis, quæ in actu orationis Deo submittitur, constituit pœnalitatem specialem qua tantum valet oratio ut opus satisfactorium sufficiens evadat. Sed ubinam hæc voluntatis propriæ humilis submissio et universalior et diutius protracta invenietur, quam in Religionem Professo, qui se totum et in perpetuum obedientiæ voto Dei servitio mancipavit? Tandum Scriptura sacra constat peccata jejunio redimi posse. Ninivitarum exemplum omnino celeberrimum commendatur, Jonas, c. IV, 4. Et clamavit (Jonas), et dixit: Adhuc quadraginta dies, et Ninive sub-

vertetur... 6. Et pervenit verbum ad Regem Ninive : et surrexit de solio suo, et abjecit vestimentum suum a se, et indutus est sacco, et sedit in cinere. 7. Et clamavit et dixit in Ninive ex ore Regis et principum ejus, dicens : Homines, et jumenta, et boves, et pecora non gustent quidquam : nec pascantur, et aquam non bibant. 8. Et operiantur saccis homines, et jumenta, et clament ad Dominum in fortitudine, et convertatur vir a via sua mala, et ab iniquitate, quæ est in manibus eorum. 9. Quis scit si convertatur, et ignoscat Deus : et revertetur a furore iræ suæ, et non peribimus. 10. Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala : et misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat ut faceret eis, et non fecit. — Ad hanc placationem operandam sufficit jejunium aliquot dierum, et juxta communem SS. Patrum æstimationem trium tantum dierum ; quid ergo sperare licet de jejunio frequentiori, per totius vitæ cursum protrahendo, in tam perfecta ad Deum conversione, a Religionem Professo assumpto? — Sic ergo concludendum est: Religionem Professus, qui in unoquoque satisfactionis genere, quod Scriptura sacra sufficere posse proclamat, summum satisfactionis præstare facile dignoscitur, multo magis satisfecisse admittetur si consideratur in ipso tam multiplicis sufficientiæ coalescentia.

Secundo ratione CONVENIENTIÆ Religionis Status, ut præteritæ per peccatum injustitiæ recompensatio, omnes alias superat satisfactiones. Quæ convenientia triplex considerari potest. — Una attendit damnum a peccante per peccatum passum. De hac egregie S. Gregorius, hom. 20 in Matth. (Dom. IV Adv.) : „ Sequitur : Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. In quibus verbis notandum est, quod amicus Sponsi non solum fructus pœnitentiæ, sed dignos pœnitentiæ admonet esse faciendos. Aliud namque est fructum facere, aliud dignum pœnitentiæ fructum facere. Ut enim secundum dignos pœnitentiæ fructus loquamur, sciendum est quia quisquis illicita nulla com-

misit, huic jure conceditur, ut licitis utatur ; sicque pietatis opera faciat, ut tamen si voluerit, ea quæ mundi sunt non relinquat. At si quis in fornicationis culpam, vel fortasse, quod est gravius, in adulterium lapsus est, tanto a se licita debet abscindere, quanto se meminit et illicita perpetrasse. Neque enim par fructus boni operis esse debet, ejus qui minus, et ejus qui amplius deliquit, aut ejus qui nullis, et ejus qui in quibusdam facinoribus cecidit et ejus qui in multis est lapsus. Per hoc ergo quod dicitur : Facite dignos fructus pœnitentiæ, uniuscujusque conscientia convenitur : ut tanto majora acquirat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quanto graviora sibi intulit damna per culpam ". Sed Religionem Professus totus in Dei servitium transiit, cujus singuli actus per vota ad Religionis virtutem in dignitate elevantur. — Alia convenientia attendit Deo debitum. Noscitur lex talionis sæpius ab Ipso Deo prolata : Quicumque effuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius (Gen. 9, 6). Ut sciret quia per quæ peccat quis, per hæc et torquetur. (Sap. 11, 17). Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis (Luc. 6, 38). Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt (Matth. 26, 52). Atqui, Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ (I. Joan. 2, 16). Ergo valde convenit, licet divina Misericordia illud non exigat, in trium bonorum, quibus abusus est peccator, privatione appendere pœnam. Sed hoc summa perfectione, ut ex hucusque dictis luculenter apparet, præstat Religiosus Status (Cfr. supra II, ubi demonstratur Religiosus Status omnes complectere privationes). — Tertia tandem convenientia attendit realem Christo patienti participationem. Aspiciatur Crucifixi imago : Nonne summa paupertas, summa corporis mortificatio, summa obedientiæ humilitas ! In tribus privationem passus est Redemptor ; in tribus privationem cum Christo pati vovit trino voto Religionem Professus. En sequitur Magistrum humilis

discipulus, „ut ab Ipsius nunquam magisterio discedens, in Ejus doctrina usque ad mortem in Monasterio perseverans, passionibus Christi per patientiam participet, ut et Regni Ejus mereatur esse consors" ut scribit S. P. Benedictus in fine Prologi Sanctæ Regulæ (Cfr. quæ Parte prima describuntur ex Cæsario Heisterbacensi Monacho, Dist. VIII. c. 18 et 19. et Dist. I., c. 6, p. 45, 46 et 47).

Tertio tandem ratione DIVINÆ ACCEPTATIONIS, Religiosus Status, ut præteritæ per peccatum injustitiæ recompensatio, omnes alias superat satisfactiones. Etenim pœnitentia, quæ trium bonorum privatione perfectissima evadit, via est necessaria ad Regnum Cœlorum, Regnum Dei scilicet Qui Charitas est. Quod Regnum Cœlorum pœnitentia a Joanne Baptista præparatur, inchoando a pœnitentia per Christum evangelisatur, in ipsa Cruce per Eumdem Salvatorem Jesum inauguratur, prout cantare consuevit Ecclesia: Regnavit a ligno Deus. A Cruce regnare cœpit Jesus Rex mansuetissimus, Qui ignem venit mittere in terram et nihil cupit nisi ut accendatur. Unde egregie, pieque scribit S. Franciscus Salesius, De l'Amour de Dieu, lib. XII. cap. XIII: „Théotime, le mont Calvaire est le mont des amants. Tout amour qui ne prend son origine de la passion du Sauveur est frivole et périlleux. Malheureuse est la mort sans l'amour du Sauveur: malheureux est l'amour sans la mort du Sauveur. L'amour et la mort sont tellement meslés ensemble en la passion du Sauveur, qu'on ne peut avoir au cœur l'un sans l'autre. Sur le Calvaire on ne peut avoir la vie sans l'amour, ni l'amour sans la mort du Rédempteur; mais hors de là, tout est ou mort éternelle, ou amour éternel: et toute la sagesse chrétienne consiste à bien choisir... Ou aimer ou mourir. Mourir et aimer. Mourir à tout autre amour, afin que nous ne mourrions point éternellement, ains que vivant en votre amour éternel, ô Sauveur de nos âmes, nous chantions éternellement: Vive Jésus! J'aime Jésus. Vive Jésus Que

j'aime. J'aime Jésus, Qui vit et règne ès siècles des siècles. Amen ". Perfectissima ergo pœnitentia quam in Religione vovens profitetur, in se est divinæ Majestati acceptissima; et juremerito tanta esse reputatur, ut communiter apud Doctores sit receptum : non posse imponi in pœnitentiam ingressum in Religionem, quia id nimis durum videtur prout addit Em. Sa. v. Satisfactio (Cfr. S. Alphonsum, Theol. Mor. l. VI, de Pœnit. n. 511 ; Cfr. supra Quodlibet III, q. 5, art. 13 D. Thomæ). — In Religionem Professo perfectissima pœnitentia a divina Majestate specialius acceptari demonstratur etiam, vel quia Ipse Deus Religionum Institutores suo lumine etmiraculis mirifice adjuvit, vel quia in Ecclesia Christi Religiones, per Summum Pontificem vel Episcopos, quos posuit regere Ecclesiam Dei, approbavit ; et in eis ad Professionem admittit subditos juxta S. Matris Ecclesiæ Leges : et per Superiores, quibus debite tradita est potestas ab Ecclesia, eorum vota excipit. Quod innuit S. P. Benedictus in Sancta Regula, c. 58 : „ Quam petitionem (de promissione sua) manu sua scribat ; aut certe, si non scit litteras, alter ab eo rogatus scribat, et ille Novitius signum faciat, et manu sua eam super altare ponat." Ad quod alludens S. Gregorius, libr. 4. Expositionis in I Regum, c. IV, scribit : Et audivit Samuël omnia verba populi,et locutus est ea in auribus Domini. Audire vocem populi est, quæ sanctæ conversationis Habitum petentes exterius dicant agnoscere. Nam velut solam accedentium vocem audimus, cum scimus, quæ exterius asserunt : sed quales inter sponsionis assertiones futuri sint, non videmus. Loqui ergo ea in auribus Domini debemus : ut Ipse sponsionis verba suscipiat : Qui dum verba audit, corda discutit : et ex textu Professionis, usuras exquirit robusti operis. Hoc nempe Novitiorum nostrorum mentes audiant, et expavescant : quia videlicet quod nobis dicunt, in auribus Domini loquimur. Nam quod coram nobis promittunt, Deo offerimus, ut Ipse jam de

manibus nostris teneat, quod exquirat. Quæ profecto libertas Rectoris, est obligatio subditi: quia tanto districtiori sententiæ subditur, quanto apertius scire potest, quia de eo, quod respondet, omnipotenti Deo rationem reddere debet. Cum ergo ea quæ Novitii promittunt, Deo offerimus, quasi chirographum quod nobis faciunt, Illi damus. Et quia latenter hoc agitur, in auribus Domini Samuël ea quæ populus dixerat, locutus fuisse perhibetur. In auribus quippe amicorum loquimur: quando ea quæ dicimus, extraneis celamus." Cardinalis Joannis Bona, Rerum Liturgicarum libro II, c. VIII, disserens de Oblationibus quæ ad Offertorium Missæ fiunt, notat. n. VIII, „Hoc antiquis solemne fuit, ut chartas donationum ponerent super altare. Nam quidquid homo habet, Dei donum est, et ideo in his quæ offert, reddit Deo quod suum non est, Illo recipiente quod suum est... Eodem modo Monachi cum per solemnem Professionem seipsum offerunt Deo, ipsius Professionis chartam ponunt in altari, ut S. Benedictus præcipit in Regula, c. 58"... Citato S. Gregorio ut supra, addit: „Quia nimirum chartam Professionis positam a Novitio super altari, Abbas Missam celebrans accipit, et loco Dei acceptat, et Ipsi offert."

IV. Religiosus Status, ut FUTURORUM PECCATORUM præcavendorum vel VIRTUTUM exercendarum medicina, inter OMNES satisfactiones LONGE PRÆEMINET. Hanc medicinam comparant Professi, vel sibi qua a culpa præserventur et ad virtutem promoveantur, vel aliis quæ sit pariter in exemplum iis quos forsan priori conversatione sæculari offenderint.

Primo sibi medicinam comparant eximiam Professi dupliciter: — uno modo quia peccatorum causas votis perfectissime resecant. Etenim tres tantum dantur in mundo causæ, nempe concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. Et contra tria hæc, ordinantur tria vota castitatis, paupertatis, et obedientiæ.

Unde non unius alteriusve peccati, sed omnium omnino peccatorum causæ resecantur : et non ad tempus tantum plus minusve protrahendum, sed in perpetuum : — altero modo, quia peccatorum suggestionibus aditum non indulget. Nam D. Thomæ dicta imitando recte dici potest : omne peccatum vel in Deum committitur, et contra hoc ordinatur votum obedientiæ ; vel in proximum, et contra hoc ordinatur votum paupertatis ; vel in nosmetipsos, et contra hoc ordinatur votum castitatis. Addi potest Religionis Statum Professum a peccatorum suggestionibus cohiberi, vel per publicam a mundanis separationem, vel per domesticam cum piis fratribus societatem, vel per indefessam Superiorum vigilantiam, vel per continuam Sanctæ Regulæ monitionem. Quæ omnia, peccatorum suggestionibus aditum cohibentia, et universalia et perpetua esse comperiuntur. Verbum de virtutum promovendarum medicina addere inutile visum est, vel quia jam ex sublatis ad peccata allicientibus virtutum prosperitas seminatur, vel quia ex mox dicendis de Religionis Statu, ut est satisfactorium opus, ratione bonitatis examinato, luculentissime manifestabitur.

Secundo aliis etiam medicinam comparat eximiam Professus, qua per exemplum suum in satisfactione valde prosit. Vita Ipsius Christi Qui cœpit facere prius ut postea tantum brevi tempore doceret, vis exemplorum et ad malum fugandum et ad bonum promovendum omnibus Christianis notissima est. Nec paganis olim ignotum fuit, quorum celebre dictum : Verba monent, exempla trahunt. Sed et Ecclesiæ hostibus ipsis compertum est, qui tanto furore in Religiones invehuntur. Speciatim plurima videri possunt in documentis, ubi Religiosus Status Martyrio comparatur, et nominatim in tertia Parte, quæ egregie concionavit Ill^mus de Roquelaure, p. 155.

Horum omnium legitima conclusio videtur : Religiosus Status omnia opera satisfactoria superat ratione pœna-

litatis. Idem jam nunc stabiliendum superest ratione bontitatis.

B. Religionis Status omnia satisfactoria opera superat ratione bonitatis.

Opus quantumvis pœnale, ad satisfaciendum tamen nullo modo proficeret, nisi contritione et charitate informaretur, quibus adjunctis fit laudabile et meritorium, et ita pœnalitati bonitatis ratio accederet. Inde hanc bonitatis essentialem notam, in præcedentis propositionis demonstratione omittere non licuit. Quod nunc vero stabiliendum suscipitur, jam non est mera hujus essentialis, ad satisfactorium opus constituendum, bonitatis præsentia; sed præeminens in Religionis Statu præsentis bonitatis excellentia. Hæc autem excellentia a tribus præcipuis capitibus repeti potest: 1° Evangelica consilia, quæ sibi Religionem Professus in legem imposuit, morales virtutes ad intrinsecam perfectionem deducunt, cui perfectioni virtutum moralium (quæ simul charitate informatæ supponuntur) accidentales beatitudinis aureolæ coronæ debentur;

2° Evangelica consilia, quæ sibi Religionem Professus in legem imposuit, charitatem hujus viæ, in qua principaliter spiritualis vita consistit, et impedimentorum remotione, et uberioris materiæ subjectione, ad suam perfectionem deducunt, cui charitatis perfectioni essentialis beatitudinis aurea corona debetur; — 3° Vota, quibus Religionem Professus Evangelicis consiliis adstringitur, et opera ex hisce votis facta, simplex propositum, et opera ex simplici proposito facta, cœteris paribus, toto cœlo superant. Sit ergo:

CAPUT PRIMUM.

Religionis Status virtutes morales ad summum perducit.

Nam Evangelica consilia, quæ sibi Religionem Professus in legem imposuit, morales virtutes ad intrinsecam perfectionem deducunt, cui perfectioni virtutum moralium (quæ aliunde charitate informatæ supponuntur) accidentales beatitudinis aureolæ coronæ debentur.

§ I. Multiplicia Evangelica consilia, ex communi Doctorum sententia, ad tria, videlicet Obedientiam, Paupertatem et Castitatem reducuntur. Quatuor vero virtutes Cardinales, quibus humani mores reguntur, ad tres virtutes stricte morales, seu morum elicitivas, pariter reduci omnibus quoque compertum est. Etenim Justitia, Fortitudo et Castitas virtutes sunt stricte morales, seu morum elicitivæ; Prudentia vero — ratione subjecti — virtus est intellectualis; — et ratione objecti — virtus est morum tantum directiva, quæ in tribus virtutibus stricte moralibus adesse debet.

Præterea nemini dubium esse potest Christum Dominum per varia Evangelica consilia moralium virtutum perfectioni adæquate providisse. Sed quomodo per tria Evangelica consilia tribus morum elicitivis virtutibus cardinalibus provisum fuerit, non ita forsan omnibus primo intuitu evidens apparet. Itaque inquisitione nunc subjicienda manifestum fiet: summum in Justitia esse Obedientiam Religiosam; summum in Fortitudine esse Paupertatem Religiosam; summum in Temperantia esse Castitatem Religiosam.

I. Et primo quidem, Summum in Justitia est Obedientia Religiosa. Quod triplici via demonstrari potest:

1. S Augustinus, libro de Moribus Ecclesiæ, c. 15, dicit: Justitia est amor Deo tantum serviens. Et merito quidem, nam, sicut in dilectione Dei includitur dilectio proximi, ita in hoc quod homo Deo servit, includitur quod unicuique reddat quod debet. (S. Thomas, 2. 2. q. 58, a. 1, ad 6). Atqui per Obedientiam Religiosam Professus soli Deo perfectissime servit, non in mandatis tantum sed in consiliis etiam obtemperans, non in certis tantum sed in omnibus etiam casibus propriis voluntatibus abrenuntians, illam Domini sententiam imitans: Non veni facere voluntatem meam, sed Ejus qui misit me. Unde sequitur Obedientiam Religiosam summum esse in Justitia.

2. Ut inter virtutes morales Obedientiæ excellentia eluceat, ita ratiocinatur S. Thomas: Sicut peccatum consistit in hoc quod homo, contempto Deo, commutabilibus bonis inhæret, ita meritum virtuosi actus consistit e contrario in hoc quod homo, contemptis bonis creatis, Deo inhæret sicut fini. Finis autem potior est his quæ sunt ad finem. Si ergo bona creata propter hoc contemnantur, ut Deo inhæreatur, major est laus virtutis ex hoc quod Deo inhæret, quam ex hoc quod bona terrena contemnit. Et ideo illæ virtutes quibus Deo secundum Se inhæretur, scilicet Theologicæ, sunt potiores virtutibus moralibus, quibus aliquid terrenum contemnitur, ut Deo inhæreatur.

Inter virtutes autem morales, tanto aliqua potior est, quanto aliquis aliquid majus contemnit, ut Deo inhæreat. Sunt autem tria genera bonorum humanorum, quæ homo potest contemnere propter Deum; quorum infimum sunt exteriora bona; medium autem sunt bona corporis; supremum autem sunt bona animæ, inter quæ quodammodo præcipuum est voluntas, in quantum scilicet per voluntatem homo omnibus aliis bonis utitur. Et ideo per se loquendo, laudabilior est Obedientiæ virtus, quæ propter Deum contemnit propriam voluntatem, quam aliæ virtutes morales, quæ propter Deum aliqua alia bona contemnunt.

Unde Gregorius dicit, ult. Moral., c. 14, § 28. quod „ Obedientia victimis jure præponitur ; quia per victimas aliena caro, per Obedientiam vero voluntas propria mactatur." Unde etiam quæcumque alia virtutum opera ex hoc meritoria sunt apud Deum, quod fiunt ut obediatur Voluntati divinæ. Nam si quis etiam Martyrium sustineret, vel omnia sua pauperibus erogaret, nisi hoc ordinaret ad impletionem divinæ Voluntatis, quod recte ad Obedientiam pertinet, meritoria esse non possent ; sicut nec si fierent sine Charitate, quæ sine Obedientia esse non potest : dicitur enim I Joan. II, 4, quod „ Qui dicit se nosse (Deum), et mandata Ejus non custodit, mendax est... qui autem servat verba (verbum) Ejus, in hoc Charitas Dei perfecta est." Et hoc ideo est, quia amicitia facit idem velle et nolle. (Ita S. Thomas, 2, 2. q. 104, ar 3). — Atqui sub Justitia continetur Obedientia, utpote quæ ad Observantiam, Justitiæ potentialem partem, refertur. Ergo summum in Justitia Obedientia Religiosa.

3. Obedientia enim procedit ex reverentia quæ exhibet cultum et honorem Superiori ; et quantum ad hoc sub diversis virtutibus continetur ; licet secundum se considerata, prout respicit rationem præcepti, sit una specialis virtus. In quantum ergo procedit ex reverentia prælatorum, continetur quodammodo sub Observantia ; in quantum vero procedit ex reverentia parentum, sub Pietate ; in quantum vero procedit ex reverentia Dei, sub Religione, et pertinet ad devotionem, quæ est principalis actus Religionis. Unde secundum hoc laudabilius est obedire Deo quam sacrificium offerre : et etiam quia „ in sacrificio immolatur aliena caro, per Obedientiam autem propria voluntas," ut Gregorius dicit ult. Moral. c. 14, § 28. (S. Thomas 2. 2. q. 104, a. 3, ad 1). Harum autem virtutum, Observantiæ, Pietatis et Religionis influxus eminenter cohonestat Obedientiam Religiosi, *a*) qui mox ut aliquid imperatum a majore fuerit, ac si divinitus imperetur, moram

pati nescit in faciendo, de quo Dominus dicit: In auditu auris obedivit Mihi: quia Obedientia quæ majoribus præbetur, Deo exhibetur (Reg. S. Bened., c. 5); — *b*) qui in proprio prælato, patrem factis nomen suum implentem contemplatus, gaudet se accepisse spiritum adoptionis filiorum, in quo clamat Abba Pater, non carnali, sed spirituali paternitati reverentiam exhibens; — *c*) qui in proprio prælato non tantum virtutum excellentiæ, sed etiam tam altæ suscepti animarum regiminis celsitudini summam perhibet reverentiam, prout verbi gratia fertur de S. Francisco Xaverio, Superiori suo nonnisi flexis genibus scribente. Et ita Obedientia Religiosa præcipuarum Justitiæ potentialium partium, id est, Religionis, Pietatis et Observantiæ, meritum consequitur: et ex hoc capite jure optimo summum in Justitia esse nuncupatur.

II. Secundo vero, Summum in Fortitudine est Paupertas Religiosa. 1. Nomen Fortitudinis dupliciter accipi potest: uno modo secundum quod absolute importat quamdam animi firmitatem, et secundum hoc est generalis virtus, vel potius conditio cujuslibet virtutis, quia, sicut Philosophus dicit in II Ethic., c. 4, ad virtutem requiritur firmiter et immobiliter operari. Alio modo potest accipi Fortitudo, secundum quod importat firmitatem tantum in sustinendis et repellendis his in quibus maxime difficile est habere firmitatem, scilicet in aliquibus periculis gravibus: unde Tullius dicit in sua Rhetor., lib. 2, de invent., aliquant. ante fin., quod „Fortitudo est considerata periculorum susceptio et laborum perpessio". Et sic Fortitudo ponitur specialis virtus, utpote materiam determinatam habens. (S. Thomas, 2. 2., q. 123, a. 2).

2. Fortitudo est magis circa timores reprimendos quam circa audacias moderandas. Difficilius enim est timorem reprimere quam audaciam moderari, eo quod ipsum periculum, quod est objectum audaciæ et timoris, de se confert

aliquid ad audaciæ repressionem, sed operatur ad timoris augmentum. Aggredi autem pertinet ad Fortitudinem secundum quod moderatur audaciam : sed sustinere sequitur repressionem timoris. Et ideo principalior actus Fortitudinis est sustinere, id est, immobiliter sistere in periculis, quam aggredi. (ibid. a. 6). Exinde summum in Fortitudine est Martyrium, juxta omnes, quia gravius impellit dolor corporis quam voluptas, et inter dolores animi et pericula maxime timentur ea quæ ducunt ad mortem, contra quæ firmiter stat fortis.

3. Ut autem intelligatur quomodo ad Fortitudinem se habeat Paupertas Religiosa,præ oculis ponendæ sunt partes Fortitudinis. Audiatur ergo iterum D. Thomas : Ad actum aggrediendi duo requiruntur. Quorum primum pertinet ad animi præparationem, et quantum ad hoc ponit Tullius „ fiduciam " : unde dicit, loco citato, quod „ fiducia est per quam magnis et honestis in rebus multum ipse animus in se fiduciæ certa cum spe collocavit." Secundum autem pertinet ad operis executionem, ne scilicet aliquis deficiat in executione illorum quæ fiducialiter inchoavit : et quantum ad hoc ponit Tullius „ magnificentiam " ; unde dicit quod „ magnificentia est rerum magnarum et excelsarum cum animi ampla quadam et splendida propositione cogitatio atque administratio ", id est, executio ; ut scilicet amplo proposito administratio non desit. Hæc ergo duo si coarctentur ad propriam materiam Fortitudinis, scilicet ad pericula mortis, erunt quasi partes integrales ipsius, sine quibus Fortitudo esse non potest : si autem referantur ad aliquas alias materias, in quibus est minus difficultatis, erunt virtutes distinctæ a Fortitudine secundum speciem suam ; tamen adjungentur ei sicut secundarium principali. Sicut „ magnificentia " a Philosopho in 4 Ethic., cap. 3, ponitur circa magnos sumptus ; magnanimitas autem quæ videtur idem esse fiduciæ, circa magnos honores. — Ad alium autem actum Fortitudinis, qui est

sustinere, duo requiruntur : quorum primum est ne difficultate imminentium malorum animus frangatur per tristitiam, et decidat a sua magnitudine : et quantum ad hoc ponit „ patientiam " : unde dicit quod „ patientia est, honestatis aut utilitatis causa, rerum arduarum aut difficilium voluntaria ac diuturna perpessio ".Aliud autem est, ut ex diuturna difficilium passione homo non fatigetur usque ad hoc quod desistat, secundum illud Hebr. 12, 3 : „ Non fatigemini animis vestris deficientes " : et quantum ad hoc ponit „ perseverantiam " ; unde dicit quod „ perseverantia est in ratione bene considerata stabilis et perpetua permansio ". Hæc etiam duo si coarctentur ad propriam materiam Fortitudinis, erunt partes quasi integrales ipsius: si autem ad quascumque materias difficiles referantur, erunt virtutes a Fortitudine distinctæ ; et tamen ei adjungentur sicut secundariæ principali. (2. 2. q. 128, art. unico).

4. Jam vero Paupertas Religiosa est summa magnificentia, quippe quæ nihil sibi reservat ; summa fiducia cum certa spe, quippe quæ, terrenis honoribus despectis, sola cœlestia sibi promissa, a justo Judice in æternum sibi reddenda, æmulatur ; et qua talis duo præstat quæ in Fortitudine ad actum aggrediendi requiruntur. Aliunde autem Paupertas Religiosa est summa patientia, quippe quæ quotidianis privationum molestiis exercetur ; et summa perseverantia, quippe quæ hanc viam ad mortem usque tenendam ingreditur ; et qua talis duo præstat quæ in Fortitudine ad actum sustinendi requiruntur. — Unde evidens est conclusio : Summum in Fortitudine Paupertas Religiosa, non tantum quoad actum aggrediendi, sed etiam quoad actum arduiorem sustinendi, id est, quoad Martyrium.

5. Ne autem novitatis notam conclusio hæc incurrat, etiam per auctoritatis viam advenit. Christus Dominus pauperibus et Martyribus idem proponit præmium : „ Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cœlorum...

Beati qui persecutionem patiuntur propter Justitiam, quoniam ipsorum est regnum Cœlerum". (Matth. V, 3 et 10). Recolatur textus S. Bernardi, Sermone in Festo omnium Sanctorum, supra relatus, quo reddit S. Doctor rationem eamdem ac illa quæ hic in conclusione. Eodem sensu loquitur S. Ambrosius in eumdem Evangelicum locum, Luc., lib. 5, c. 6, Beati pauperes... Vide igitur ordinem. Oportet te fieri pauperem spiritu... Qui autem patitur persecutionem, in ultimo certamine constitutus probatur adversis, ut cum ligitime certaverit, coronetur. Hos quidem gradus volunt esse virtutum, per quos ab ultimis ad superiora possimus ascendere. Denique sicut incrementa virtutum, ita etiam sunt incrementa præmiorum... Sed quia et primum præmium regnum Cœlorum est, et ultimum præmium regnum Cœlorum est: numquid æquale præmium incipientibus atque perfectis est?... Ille igitur incipit, hic repletur.

Idem S. Ambrosius, de Abraham, l. 2, c. 2, super locum Genesis XII: Exi de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui... ubi S. Patriarcha a bonis externis separatur, exclamat: „Tentatur ut *fortis*, incitatur ut fidelis, provocatur ut justus, meritoque exivit, quemadmodum locutus est illi Dominus"... „Egressus perambulavit terram usque ad locum Sichem, ad quercum excelsam. Sichem interpretatione latina dicitur humerus vel cervix: per quæ executionem præscripti operis intelligimus: siquidem et infra habemus scriptum, Supposuit humerum suum ad laborandum (Gen. 49). Unde per figuram locorum id expressum advertimus, quod devotionem suam sanctus Abraham non solum studio, sed etiam efficacia probaverit fructuosa, quo ad quercum usque pervenerit. Quo loco apparuit illi Dominus, et dixit, Semini tuo dabo terram hanc. Vide quomodo promisso frequenti tanquam invalidum adhuc informet et instituat: et ipse immemor sui totum Deo deputet, nihil sibi vindicet. Ideo et Aram ædifi-

cavit Domino Qui apparuit ei: et recessit inde in montem contra orientem Bethel, surgentem adhuc Solem Justitiæ cupiens videre. Ideoque non in vallibus, sed in monte tabernaculum sibi locavit, quia Deus montium est, et non vallium (3 Reg. 20). Et invocavit in nomine Domini: Ubi Bethel, id est domus Dei, ibi et Ara: ubi Ara, ibi et invocatio Dei nostri. Meritoque processus tantos habuit, quia Deum sperabat sibi auxilio fore. Exercetur ut *athleta* Dei, et *duratur adversis:* in desertum abiit, famem incidit, in Ægyptum descendit..." En exercitium Fortitudinis, incipitur per separationem a bonis externis, fiducia promissorum crescit, in laboribus induratur et perseverat in adversis.

Conferatur etiam S. Cyprianus, De exhortatione Martyrii c. 12, et Sermone 5 de Lapsis (supra relati textus initio Primæ Partis); item S. Athanasius, qui Fortitudinem S. Antonii, a paupertate incœptam, ad Martyrii ardentissimum desiderium usque perductam proponit in ejus vita; item Joannes Damascenus, exponens successores Martyrum, pace restituta, viam perfectionis relictis omnibus, aggressisse. Textus in Prima Parte habentur. Audiatur S. Gregorius, Hom. 32 in c. 16 Matth., in Paupertate Fortitudinem collocans: „Ad Se autem nobis venientibus Dominus præcepit, ut renuntiemus nostris: quia quicumque ad Fidei agonem venimus, luctamen contra malignos spiritus sumimus. Nihil autem maligni spiritus in hoc mundo proprium possident: nudi ergo cum nudis luctari debemus. Nam si vestitus quisque cum nudo luctatur, citius ad terram dejicitur, quia habet unde teneatur. Quid enim sunt terrena omnia, nisi quædam corporis indumenta? Qui ergo contra diabolum ad certamen properat, vestimenta abjiciat ne succumbat."

Thomas Waldensis, citatis S. Bernardi verbis, quibus S. Doctor Monasterialem disciplinam secundum Baptisma nuncupari docet ob perfectam mundi abrenuntiationem,

apposite monet: „Nec est tantum alter quasi Baptismus fluminis, sed similem ei gradum tenet in Baptismo sanguinis per solam relictionem facultatum ob Redemptoris amorem". Quod ex adducta S. Cypriani ad lapsos Epistola sic comprobat: „De duobus Martyrum titulis, secundum gradum eis assignat, qui patrimonio relicto secedunt, ne eo servato negare ducantur, quanto magis his, qui cuncta relinquunt, ut Deo in omnibus obsequantur, et res, et proximos, et affines, et carnis affectus, et usque ad usum propriæ voluntatis?" — Idem probat textus Thomæ a Kempis.

III. Tertio denique. Summum in Temperantia est Castitas Religiosa. Quod sane omnibus evidens est, quum Castitas Religiosa omnes corporis voluptates abjiciat, et suum propositum jejuniis aliisque mortificationibus orationi conjunctis vigilanti assiduitate muniat.

Hanc primam propositionis partem verbis S. Augustini breviter confirmare juvat: „Quanquam in hac vita virtus non est, nisi diligere quod diligendum est: id eligere, prudentia est: nullis inde averti molestiis, fortitudo est; nullis illecebris, temperantia est: nulla superbia, justitia est" (Epist. 155. antiq. 52. n. 18). Molesta enim est boni privatio per paupertatem, quam qui aggreditur fortis apparet: illecebrosæ vero sunt corporis voluptates, quas mortificat castitas temperantiæ lucem spargens: superba tandem est propria servi voluntas, quam ex justitia humilis retundit obedientia.

§ II. Ad secundam ergo propositionis partem, hujus capitis initio indicatam, procedere licet, nempe: Huic perfectioni virtutum moralium quæ aliunde charitate informatæ supponuntur accidentales beatitudinis aureolæ coronæ debentur. Hujus autem partis scopus facile inspicienti patet: inde enim Religiosi Status excellentia etiam apparet, quod virtutum moralium perfectioni præmium reservatum, eadem ratione qua huic perfectioni cooperatus

fuerit, Religionis Status participat. De cooperatione ad virtutum moralium perfectionem § I actum est; nunc de præmii participatione præsenti § II agendum est. Quod ut aptius præstetur, tria proponuntur: quid sint aureolæ, quibus competant, et quo pacto in Religionis Statu consequantur.

1. Notio aureolarum. — Militia est vita hominis super terram (Job. 7, 1). Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere sed bellum (Matth. 10, 34): Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam (1. Tim. 6, 12); Labora sicut bonus miles Christi (2. Tim. 2, 3):... Hæc et similia verba, tum veteris tum novi Testamenti, tum Christi tum Apostolorum, satis declarant: Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem: sed adversus principes, et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cœlestibus (Ephes. 6, 12).

1. Certaminis autem hujus acerrimi præmium corona vocatur: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ... non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum Ejus (2. Tim. 4, 7 et 8): Et cum apparuerit Princeps pastorum, percipietis gloriæ coronam (1. Petri, 5, 4); Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ quam repromisit Deus diligentibus Se (Jac. 1, 12); Et super thronos viginti quatuor seniores... et in capitis eorum coronæ aureæ (Apoc. 4, 4). Aptissima enim Spiritus Sancti comparatione certaminis præmium corona et quidem aurea dicitur: corona, ratione perfectionis cujus symbolum est forma circularis; aurea, ratione excellentiæ tam meriti quam præmii.

2. Præmium vero certaminis distinguitur duplex: essentiale unum, alterum accidentale. Essentiale præmium, quod est ipsa beatitudo, consistit in perfecta conjunctione animæ ad Deum, in quantum Eo perfecte fruitur ut viso

et amato perfecte. Accidentale autem præmium, quod essentiali beatitudini superadditur, non ut necessarium ad illam, sed ut eam exornans superadditur ; et hoc ob excellentem quamdam victoriam, per quam Christo victori perfectissime vincens conformatur. Ast quia nihil accidentale superaddi potest alicui essentiali, quin sit eo minus ; inde accidentale præmium, de quo hic, essentiali præmio etiam minus est.

3. Tandem in Exodo (25, 24 et 25) de mensa panum propositionis præcipit Deus Moysi : Facies que illi labium aureum per circuitum, 25 et ipsi labio coronam interrasilem altam quatuor digitis ; et super illam alteram coronam aureolam (aureolam, non quasi non esset ex puro auro, sed quia parva erat, ideoque minus auri quam cæteræ continebat, ut notat Cornelius a Lapide). Cum vero in Sacra Scriptura certaminis præmium essentiale, ipsa scilicet beatitudo, vocatur corona aurea, uti supra ostensum est : ex præsenti Exodi loco Scholastici accipiunt figuram utriusque præmii : ita ut gaudium, quo beatus quisque de conjunctione sua ad Deum gaudet, vocetur corona aurea ; et gaudium, quod ratione excellentis victoriæ quorumdam beatitudini superadditur, corona aureola. (Cfr. S. Thomam suppl. 3 p, q. 99, a. 1).

II. Quibus aureolæ coronæ competant. Excellentem de hoste victoriam retulisse tria electorum genera ab Ecclesia dignoscuntur : Martyres, Doctores et Virgines, qui omnes Sacris Scripturis etiam signantur, et quorum accidentale præmium aureola corona nuncupatur. Primo de Martyribus : Vincenti dabo manna absconditum (Apoc. 2, 17) ; Post hæc vidi turbam magnam... stantes ante thronum, et in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum... 14... Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni (Apoc. 7, 8 et 14) ; Omnis ergo qui confitebitur Me coram hominibus, confitebor et Ego eum

coram Patre meo, Qui in Cœlis est (Matth. 10, 32). — Secundo de Doctoribus: Qui autem docti fuerit, fulgebunt quasi splendor firmamenti: et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates (Dan. 12, 3); Qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno Cœlorum (Matth. 5, 19). — Tertio de Virginibus: Et cantabant quasi canticum novum ante sedem, et ante quatuor animalia, et seniores: et nemo poterat dicere canticum nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. 4. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit (Apoc. 14, 3 et 4); Dabo eis (eunuchis) in domo mea, et in muris meis locum, et nomen melius a filiis et filiabus; nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit (Is. 56, 5).

III. Tandem quo pacto aureolæ coronæ in Religionis Statu consequantur. — Certamen etiam multipliciter habet considerari: vel ex parte adversariorum, qui sunt diabolus, mundus et caro; vel ex parte animæ potentiarum quæ hisce opponuntur, quæ sunt voluntas, appetitus irrascibilis, et concupiscibilis; vel ex parte virtutum habituum quibus prædictæ potentiæ ad certamen perficiuntur, qui sunt Justitia, Fortitudo et Temperantia; vel tandem ex parte Evangelicorum Consiliorum quibus ipsæ virtutes stricte morales perficiuntur, quæ sunt Obedientia, Paupertas, et Castitas. Et sic in sacræ Religionis Statu triplex instruitur spiritualis animæ acies fortissima: Obedientia Religiosa, quæ est summum Justitiæ, voluntatem opponit diabolo — Paupertas Religiosa, quæ est summum Fortitudinis, appetitum irrascibilem opponit mundo — Castitas Religiosa, quæ est summum Temperantiæ, appetitum concupiscibilem opponit carni.

In hoc vero triplici conflictu, animæ acies suam unaquæque excellentem victoriam secure præstolatur: prima Doctorum, secunda Martyrum, tertia Virginum. Prima

quidem acies Doctorum victoriam, qui non solum diabolo non cedunt, sed etiam expellunt eum, non solum a se sed etiam ab aliis: etenim Obedientia Religiosa contra spiritualia nequitiæ dimicans, in facie totius Ecclesiæ, universo spectante mundo, modo quidem efficacissimo, constanti scilicet exemplo, protestatur non tantum Dei mandatorum viam, sed etiam angustiorem Evangelicorum Consiliorum semitam homini gratia adjuto possibilem esse, imo et facilem ineffabilique jucunditate plenam. Hujus mutæ prædicationis tanta est virtus tamque pot nter de diabolo triumphat, ut et Ecclesiæ hostes obstinatissimos in rabiem rapere, et peccatores debiles ad meliorem frugem reducere, et bonos justosque ad de virtute in virtutem proficiendum provocare, quotidiana experientia constet. Secunda vero acies Martyrum victoriam præstolatur, qui a mundo exteriores illatas passiones perfectissime superant ex duobus: ex magnitudine passionis, ad mortem usque; et ex honestissima pugnæ causa, ipso scilicet Christo. Etenim Paupertas Religiosa bona temporalia ad mortem usque rejicit, in multis laboribus assidue exercetur, ut nullo pacto a Christo solo dilecto separetur, omnia ut stercora arbitrans ut Christum lucrifaciat. Tertia tandem acies Virginum victoriam præstolatur, quæ contra carnem continuum gerunt bellum. Etenim Castitas Religiosa, licet peccato defloratam corporis Virginitatem reparare nequeat, illam saltem ad Religionis Ingressum usque servatam, optimis inexpugnabilibusque munimentis tutissime defendere summa novit peritia.

Et sic sufficienter patet quam evidenti jure aureolis coronis, quæ nonnisi actuali pugnæ debentur, juxta illud Pauli „Qui certat in agone, non coronatur nisi legitime certaverit (2. Tim. 2, 5)", Religionis Status per viam Evangelicorum Consiliorum participabit, qua via unamquamque animæ aciem ad certissimam excellentissimamque obtinendam victoriam tam prospere deducit.

CAPUT SECUNDUM.

Religionis Status ipsam Charitatem ad summum perducit.

Nam Evangelica consilia, quæ sibi Religionem Professus in legem imposuit, Charitatem hujus viæ, in qua principaliter spiritualis vita consistit, et impedimentorum remotione, et uberioris materiæ subjectione, ad suam perfectionem deducunt, cui Charitatis perfectioni aurea essentialis beatitudinis corona debetur.

Doctrina D. Thomæ (2. 2. q. 184 et 186) passim ab auctoribus traditur, quum de hac materia tam egregie scripserit. Ejusdem Doctoris sententiæ hic proferuntur quæ in Opusculo de Perfectione vitæ spiritualis reperiuntur: ita autem fiet in gratiam lectoris qui facilius Summam Theologicam quam Opusculum prædictum ad manum habebit. (Notare velit lector hoc Opusculum magnæ auctoritatis esse).

§ I. Ipsam Charitatem ad summum perducit Religionis Status.

1. Caput. I.... Consistit principaliter spiritualis vita in Charitate: quam qui non habet, nihil esse spiritualiter reputatur; unde Apostolus I Cor. XIII. 2. dicit: Si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; Charitatem autem non habuero, nihil sum. Beatus etiam Joannes Apostolus totam vitam spiritualem in dilectione consistere asserit dicens I Joan. III, 14: Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte. Simpliciter ergo in spirituali vita perfectus est qui est in Charitate perfectus; secundum quid autem perfectus dici potest, secundum quodcumque quod spirituali vitæ adjungitur: quod evidenter ex verbis Sacræ Scripturæ ostendi potest. Apostolus

enim ad Coloss. III. perfectionem principaliter Charitati attribuit: enumeratis enim multis virtutibus, scilicet misericordia, benignitate et humilitate, etc., iterum subdit: Super omnia autem Charitatem habete, quæ est vinculum perfectionis...

2. Caput. II. Perfectione autem circa Charitatem principaliter considerata, plane accipi potest in quo perfectio spiritualis vitæ consistat. Sunt enim duo præcepta Charitatis, quorum unum pertinet ad dilectionem Dei, aliud autem ad dilectionem proximi. Quæ quidem duo præcepta ordinem quemdam ad invicem habent secundum ordinem Charitatis. Nam id quod principaliter Charitate diligendum est, est summum Bonum, Quod nos beatos efficit, scilicet Deus. Secundario vero diligendus ex Charitate est proximus, qui nobis quodam socialis vitæ jure conjungitur in beatitudinis perceptione vel participatione. Unde hoc est quod in proximo ex Charitate debemus diligere, ut simul ad beatitudinem perveniamus... Ratio autem diligendi proximum Deus est: hoc enim debemus in proximo diligere, ut in Deo sit. Unde manifestum est quod idem specie actus est quo diligitur Deus et quo diligitur proximus. Et propter hoc habitus Charitatis non solum se extendit ad dilectionem Dei, sed etiam ad dilectionem proximi (2. 2. q. 25, a. 1).

3. Caput III. Quantum ad dilectionem Dei pertinet, primus et summus perfectionis gradus divinæ dilectionis convenit soli Deo. Qui quidem modus consideratur ex parte dilecti et ex parte diligentis. Dico autem ex parte dilecti, ut scilicet aliquid tantum diligatur quantum diligibile est. Ex parte vero diligentis, ut aliquid diligatur secundum totam facultatem diligentis. Quum autem unumquodque sit diligibile, secundum quod est bonum, Bonitas Dei cum sit infinita, infinite diligibilis est. Infinite autem diligere nulla creatura potest, quia nullius virtutis finitæ potest esse actus infinitus. Solus ergo Deus, Cujus est tanta

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

virtus in diligendo quanta est Bonitas Ejus, Seipsum perfecte diligere potest secundum primum perfectionis modum.

4. Caput IV. Creaturæ igitur rationali hic solus modus perfecte Deum diligendi possibilis est qui sumitur ex parte diligentis, ut scilicet secundum suam totam virtutem creatura rationalis diligat Deum; unde et in ipso divinæ dilectionis præcepto manifeste hoc exprimitur; dicitur enim Deut., VI, 5: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua; sed et Luc. X, 27, additur: et ex omni mente tua... Considerandum est autem quod hæc dupliciter impleri contingit. Cum enim totum et perfectum sit cui nihil deest; ex toto corde et anima et fortitudine et mente Deus diligitur, si nihil in his omnibus nobis desit quin totum actualiter convertatur in Deum. Sed hic perfectæ dilectionis modus non est viatorum sed comprehensorum...

5. Caput V. Alio vero modo, ex toto corde, mente, anima et fortitudine Deum diligimus si nihil nobis desit ad divinam dilectionem quod actu vel habitu in Deum non referamus, et hujus divinæ dilectionis perfectio datur homini in præcepto... Est autem infimus divinæ dilectionis gradus, ut nihil supra Eum, aut contra Eum, aut æqualiter Ei diligatur: a quo gradu perfectionis qui deficit, nullo modo implet præceptum (2, 2. q. 184, a 3, ad 2).

6. Caput VI. Et cum Apostolus dixisset: Non quod jam comprehenderim, aut perfectus sim; subdit tertio: Sequor autem, si quomodo comprehendam; et postmodum subdit quarto: Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. Ex quibus verbis manifeste accipitur quod, etsi comprehensorum perfectio non sit nobis possibilis in hac vita, æmulari tamen debemus ut in similitudinem perfectionis illius, quantum possibile est, nos trahamus, et in hoc perfectio hujus vitæ consistit, ad quam per consilia invitamur. Manifestum namque est quod humanum cor tanto inten-

tius in aliquid unum fertur, quanto magis a multis revocatur. Sic ergo tanto perfectius animus hominis ad Deum diligendum fertur, quanto magis ab affectu temporalium revocatur. Unde Augustinus in libro 83, Quæstionum, q. 26, § I, dicit quod: venenum Charitatis est spes adipiscendarum aut retinendarum temporalium rerum: augmentum vero ejus est cupiditatis diminutio; perfectio vero nulla cupiditas. Omnia igitur consilia quibus ad perfectionem invitamur, ad hoc pertinent ut animus hominis ab affectu rerum temporalium avertatur, ut sic liberius mens tendat in Deum contemplando, amando, et Ejus Voluntatem implendo.

7. Caput VII. Inter temporalia vero bona primo relinquenda occurrunt bona extrinseca, quæ divitiæ nuncupantur; et hoc Dominus consulit, Matth. 19, 21, dicens: Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere Me; cujus consilii utilitas consequenter ostenditur. Primo quidem per evidentiam facti. Nam cum adolescens, qui de via perfectionis quæsierat, hoc audisset, abiit tristis. Causa autem tristitiæ, ut Hieronymus dicit Super Matth., redditur: Erat enim habens multas possessiones, id est, spinas, et tribulos, quæ sementem dominicam suffocaverunt... Secundo vero utilitas prædicti consilii manifestatur per Domini verba quæ subdidit: Quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum. Et ratio est, ut Hieronymus dicit, quia divitiæ habitæ difficile contemnuntur... Ex verbis Domini, ut dicit Augustinus in libro de Quæst. Evang., discipuli adverterunt, omnes qui divitias cupiunt in divitum haberi numero, alioquin cum pauci sint divites in comparatione multitudinis pauperum, non quæsivissent: Quis ergo poterit salvus esse?...

8. Caput VIII. Post hæc vero relinquenda occurrunt ea quæ nobis naturæ communione et affinitatis cujuscumque necessitudine conjunguntur; unde Dominus dicit, Luc. 14,

26: Si quis venit ad Me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores... non potest esse meus discipulus... Inter cæteras autem proximorum necessitudines maxime affectu conjugali humanus animus irretitur; in tantum quod, sicut dicitur Gen. 2, 24, ex ore primi parentis: Relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ; et ideo ad perfectionem tendentibus maxime vinculum conjugale est vitandum, quia per hoc homo maxime sæcularibus implicatur. Et hanc causam Apostolus assignat sui consilii, quod dederat de continentia servanda, dicens I ad Cor. 7, 32: Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo; qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi. Ut ergo homo liberius Deo vacet, Eique perfectius inhæreat, secunda ad perfectionem via est perpetua castitatis observatio...

9. Caput. X. Non solum autem necessarium est ad perfectionem Charitatis consequendam, quod homo exteriora abjiciat; sed etiam quod homo quodam modo seipsum derelinquat. Dicit enim Dionysius, 4 cap. De divinis Nominibus, quod divinus amor est extasim faciens, id est, extra seipsum ponens; non sinens hominem suiipsius esse, sed Ejus Qui amatur; cujus rei exemplum in seipso demonstravit Apostolus dicens ad Gal. 2, 20: Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus; quasi suam vitam non suam existimans, sed Christi: quia quod proprium sibi erat contemnens, totus Christo inhærebat. Et hoc etiam in quibusdam esse completum ostendit, cum dicit ad Coloss. 2, 3,: Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Exhortatur etiam alios ut ad hoc perveniant, cum dicit II Cor. 5, 15: Pro omnibus mortuus est Christus: ut et qui vivunt jam non sibi vivant, sed Ei Qui pro ipsis mortuus est et resurrexit. Et ideo ut habetur Luc. 14, 36, postquam dixerat: Si quis venit ad Me et non odit patrum suum, et matrem, et uxorem, et filios, et

fratres, et sorores, tanquam aliquid majus addens subdit: adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. Hoc etiam idem Dominus docet Matth. 16, 24, dicens: Si quis vult venire post Me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur Me...

10. Caput XI. Secundum autem triplicem viam perfectionis assignatam, in Religionibus triplex commune votum invenitur: scilicet votum paupertatis, continentiæ et obedientiæ usque ad mortem. Per votum paupertatis, primam perfectionis viam Religiosi assumunt, proprietati abrenuntiantes. Per votum autem continentiæ, aggrediuntur viam secundam, matrimonio perpetuo abrenuntiantes. Per votum autem obedientiæ, maxime viam tertiam assumunt, voluntatem propriam abnegando. Hoc etiam triplex votum congrue Religioni adaptatur. Nam sicut dicit Augustinus, X De civit. Dei: Religio non quemlibet, sed Dei cultum significare videtur. Unde et Tullius dicit in Rhetorica quod Religio est „ virtus quæ cuidam superiori naturæ, quam divinam vocant, cultum cæremoniamque affert". Cultus autem soli Deo debitus in Sacrificii oblatione ostenditur. Offertur autem Deo Sacrificium de exterioribus rebus, quando eas aliquis propter Deum largitur, secundum illud Hebr. ult., 16: Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus. Offertur etiam Sacrificium de proprio corpore, quando scilicet qui Christi sunt, carnem suam crucifigunt cum vitiis et concupiscentiis, ut dicit Apostolus Gal., 5. Unde et ipse Rom. 12, 1: Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. Est etiam Sacrificium tertium Deo acceptissimum, quando aliquis spiritum suum offert Deo, secundum illud Ps. 50, 19: Sacrificium Deo spiritus contribulatus. — Sed sciendum quod, sicut Gregorius dicit Super Ezech., hoc inter Sacrificium et Holocaustum distat, quod omne Holocaustum est Sacrificium, et non omne Sacrificium Holocaustum. In Sacrificio enim pars pecudis, in Holocausto

vero totum pecus offerri consueverat. Cum ergo aliquis suum aliquid Deo vovet, et aliquid non vovet Sacrificium est. Cum vero omne quod habet, omne quod vivit, omne quod sapit, omnipotenti Deo voverit, Holocaustum est. Quod quidem impletur per tria vota prædicta. Unde manifestum est eos qui hujusmodi vota Deo emittunt, quasi propter Holocausti excellentiam antonomastice Religiosos vocari. Per Sacrificii autem oblationem secundum legis mandatum pro peccatis satisfacere oportet, ut in Levitico expresse jubetur. Unde Psal. 4, cum dixisset : Quæ dicitis in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini, statim de sacrificatione scribens, dixit : Sacrificate Sacrificium justitiæ ; id est, opera facite justa post pœnitentiæ lamenta, ut Glossa exponit. Sicut ergo Holocaustum Sacrificium est perfectum, ita per vota præmissa perfecte homo Deo satisfacit, cum et de exterioribus rebus et de proprio spiritu Holocaustum offert. — Ex quo patet quod Religionis Status non solum perfectionem Charitatis, sed etiam perfectionem pœnitentiæ continet : in tantum quod nulla sunt peccata tam gravia pro quibus possit homini imponi pro satisfactione Religionis assumptio, quasi Religionis Statu omnem satisfactionem transcendente. Unde habetur 33, q. 2, cap. Admonere (Decr. Gratiani 2ª pars), Astulpho, qui uxorum occiderat, consulitur ut Monasterium ingrediatur quasi melius et levius, alioquin ei durissimam pœnitentiam injungit. — Inter hæc autem tria quæ ad Religionis Statum diximus pertinere, præcipuum est obedientiæ votum, quod quidem multipliciter apparet. Primo quidem, quia per obedientiæ votum homo Deo propriam voluntatem offert ; per votum autem continentiæ offert Ei Sacrificium de proprio corpore ; per votum vero paupertatis offert de exterioribus. Sicut ergo inter bona hominis corpus præfertur exterioribus rebus, et anima corpori, ita votum continentiæ voto paupertatis præfertur, votum autem obedientiæ utrique. Secundo, quia propter propriam vo-

luntatem homo et exterioribus rebus utitur et proprio corpore. Sic igitur qui propriam voluntatem dat, totum dedisse videtur. Universalius igitur est obedientiæ votum quam continentiæ et paupertatis : et quodammodo includit utrumque. Hinc est quod Samuel obedientiam omnibus Sacrificiis præfert, dicens I Reg. 15, 22 : Melior est obedientia quam victimæ.

11. Mire præfatam doctrinam contraxit 2. 2. q. 186, a. 7: Respondeo dicendum quod Religionis Status potest considerari tripliciter : uno modo, secundum quod est quoddam exercitium tendendi ad perfectionem Charitatis ; alio modo, secundum quod quietat animum humanum ab exterioribus sollicitudinibus, secundum illud I Cor. 7, 32 : Volo vos sine sollicitudine esse ; tertio modo, secundum quod est quoddam Holocaustum, per quod aliquis totaliter se, et sua offert Deo. Et secundum hoc ex his tribus votis integratur Religionis Status.

Primo enim quantum ad exercitium perfectionis requiritur quod aliquis a se removeat illa per quæ posset impediri ne totaliter ejus affectus tendat in Deum ; in quo consistit perfectio Charitatis. Hujusmodi autem sunt tria : primum quidem cupiditas exteriorum bonorum, quæ tollitur per votum paupertatis ; secundum autem est concupiscentia sensibilium delectationum, inter quas præcellunt delectationes venereæ, quæ excluduntur per votum continentiæ ; tertium autem est inordinatio voluntatis humanæ, quæ excluditur per votum obedientiæ.

Similiter autem sollicitudinis sæcularis inquietudo præcipue ingeritur homini circa tria : primo quidem circa dispensationem exteriorum rerum, et hæc sollicitudo per votum paupertatis homini aufertur ; secundo circa gubernationem uxoris et filiorum, quæ amputatur per votum continentiæ ; tertio circa dispositionem propriorum actuum, quæ amputatur per votum obedientiæ, quo aliquis se alterius dispositioni committit.

Similiter etiam Holocaustum est, cum aliquis totum quod habet, offert Deo, ut Gregorius dicit, Super Ezech. hom. 8, l. 2, § 16. Habet autem homo triplex bonum, secundum Philosophum, in I Ethic. cap. 8, circa principium: primo quidem exteriorum rerum, quas quidem totaliter aliquis Deo offert per votum voluntariæ paupertatis; secundo autem bonum proprii corporis, quod aliquis præcipue offert Deo per votum continentiæ, quo abrenuntiat maximis delectationibus corporis; tertium autem bonum est animæ, quod aliquis totaliter Deo offert per obedientiam, qua aliquis offert Deo propriam voluntatem, per quam homo utitur omnibus potentiis et habitibus animæ. Et ideo convenienter ex tribus votis Status Religionis integratur.

§ II. Ex hac præclarissima D. Thomæ doctrina manifestum est per consilia Evangelica Statum Religionis Charitatem ad suam perfectionem hujus viæ instrumentaliter, videlicet remotione impedimentorum et uberrimæ materiæ subjectione, deducere. Sed huic Charitatis perfectioni aurea essentialis beatitudinis corona debetur, quod breviter adhuc declarandum est. Præmium essentiale hominis, quod est ejus beatitudo, consistit in perfecta conjunctione animæ ad Deum, in quantum Eo perfecte fruitur ut viso et amato perfecte: quod præmium metaphorice corona aurea dicitur (S. 3, q. 99, a. 1). Charitas autem est quæ unit nos Deo, Qui est ultimus finis humanæ mentis, quia, Qui manet in Charitate, in Deo manet, et Deus in eo, ut dicitur I Joan. 4, 16 (2. 2. q. 184, a. 1). Et hoc præstat Charitas dupliciter: remote et proxime. Primo quidem remote, scilicet in via: actus enim noster non habet quod sit meritorius ex ipsa substantia actus, sed solum ex habitu virtutis quo informatur. Vis autem merendi in omnibus virtutibus est ex Charitate quæ habet ipsum finem pro objecto. Et ideo diversitas in merendo, tota revertitur ad diversitatem Charitatis, et sic Charitas viæ distinguet diversas mansiones in regno cœlesti per

modum meriti. Secundo vero proxime, scilicet in patria: quanto Charitas in aliquo erit perfectior, tanto eum reddet capaciorem divinæ Claritatis, secundum cujus augmentum augebitur perfectio visionis divinæ (S. 3. q. 96. a. 3).

Et sic manifeste patet Religionis Statum esse præstantissimum, qui, per Evangelica consilia instrumentaliter Charitatem ad propriam perfectionem deducens, ad sublimiorem auream coronam consequendam aptissimus evadit.

CAPUT TERTIUM.

Religionis Status propositi et operum meritum mire auget.

Nam vota, quibus Religionem Professus Evangelicis consiliis adstringitur, et opera ex hisce votis facta, simplex propositum, et opera ex simplici proposito facta, cæteris paribus, toto cœlo superant.

Huc faciunt quæ supra, Parte secunda, ex S. Bernardino Senensi transcripta sunt. Audiatur insuper D. Thomas in suo aureo opusculo de Perfectione vitæ spiritualis, qui scite Religionis hostes confutat.

1. Caput XII. Memoratis qui primam et secundam perfectionis viam impugnaverunt, Vigilantio et Joviniano, ita prosequitur: His autem antiquis insidiis diabolus non contentus, temporibus nostris quosdam dicitur incitasse, votum obedientiæ ac alia vota communiter impugnantes, dicendo laudabilius esse bona opera virtutum facere sine voto vel obedientia, quam si ad hæc facienda homo per votum vel obedientiam constringatur. Quorum aliqui dicuntur in tantam vesaniam prosilire, quod asserant votum quod aliquis emisit de Religione intranda, posse prætermitti absque detrimento salutis. Hunc autem errorem quibusdam vanis et frivolis rationibus confirmare

dicuntur. – Dicunt enim quod tanto aliquid est laudabilius et magis meritorium, quanto est magis voluntarium. Sed quanto aliquid est magis necessarium, tanto videtur minus voluntarium. Laudabilius ergo et magis meritorium videtur esse quod quis opera virtutum exerceat proprio arbitrio et absque necessitate voti vel obedientiæ, quam quod ex voto vel obedientia hoc facere compellatur. – Dicunt etiam ad hoc inducere quod Prosper dicit in 2 l. de Vita contemplativa; dicit enim: Sic abstinere vel jejunare debemus, ut non nos necessitati jejunandi subdamus, ne jam non devoti, sed inviti rem non voluntarie faciamus. – Possent etiam ad hoc inducere quod dicit Apostolus II Cor. 9, 7: Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus.

Oportet ergo manifeste ostendere et hoc falsum esse quod dicunt, et eorum frivolas rationes elidere.

2. Ad ostendendum autem hujus erroris falsitatem, primo assumendum est quod in Ps. 75, 12, dicitur: Vovete, et reddite Domino Deo vestro, ubi dicit Glossa: „Notandum est quod alia sunt communia vota Dei, scilicet sine quibus non est salus, ut vovere fidem in Baptismo et hujusmodi, quæ etiam si non promittimus, solvere debemus, et de his præcipitur omnibus: Vovete et reddite. Alia sunt vota propria singulorum ut castitas, virginitas et hujusmodi. Ad hæc ergo vovenda nos invitat, non præcipit ut voveamus, sed ut vota reddamus. Vovere enim voluntati consulitur, sed post voti emissionem redditio exigitur necessario." Votum ergo quoddam est in præcepto, quoddam in consilio. Ex utroque autem ex necessitate concluditur, quod melius est aliquid bonum facere ex voto quam sine voto. Manifestum est enim quod ad ea quæ sunt de necessitate salutis, omnes tenentur ex Dei præcepto, nec est fas æstimare aliquod Dei præceptum in vacuum dari. Finis autem cujuslibet præcepti est Charitas, ut dicit Apostolus

1 Tim. 1. Frustra ergo daretur aliquod præceptum de aliquo faciendo, si non magis ad Charitatem pertineret illud facere quam non facere. Datur autem præceptum non solum de credendo vel de non furando, sed etiam ut hæc voveamus. Credere igitur ex voto, et abstinere a furto ex voto, et cætera hujusmodi, magis ad Charitatem pertinent quam si sine voto fiant. Quod autem magis ad Charitatem pertinet, magis est laudabile et magis meritorium. Magis ergo est laudabile et meritorium facere aliquid ex voto quam sine voto. — Rursus. Consilium datur non solum de virginitate vel castitate servanda, sed etiam de vovendo, ut patet ex Glossa supra inducta. Sed consilium non datur nisi de meliori bono, ut supra dictum est. Melius ergo est servare virginitatem cum voto quam sine voto, et simile est in aliis.

Item. Inter alia bona opera maxime observatio castitatis commendari solet, ad quam Dominus invitat dicens: Qui potest capere, capiat. Matth. 19, 12. Sed ipsa virginitas ex voto commendabilis redditur: dicit enim Augustinus in lib. de Virginitate: Neque virginitas, quia virginitas est, sed quia Deo dicata est, honoratur, quam vovet et servat continentia pietatis. Et infra: Nec nos in virginibus quod virgines sunt prædicamus, sed quod Deo dicatæ sunt pia continentia virginitatis. Multo igitur magis aliqua opera laudabiliora redduntur ex hoc quod per votum Deo dicantur.

Iterum. Quodlibet bonum finitum cum enumeratione alterius boni melius est. Nulli autem dubium esse potest quin ipsa promissio boni sit aliquod bonum: unde et qui homini aliquid promittit, bonum aliquod ei videtur jam impendere, unde et quibus aliquid promittitur, gratias agunt. Votum autem est quædam promissio Deo facta, ut patet per illud quod dicitur Eccl. 5, 3: Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim Ei infidelis et stulta promissio. Melius est igitur aliquid facere et vovere, quam facere simpliciter absque voto.

Adhuc. Quanto aliquis plus dat alicui, tanto majus aliquid ab eo meretur. Qui autem facit aliquid sine voto, dat Ei solum quod facit propter Ejus amorem: qui autem non solum facit, sed etiam vovet, non solum dat Ei quod facit, sed etiam potentiam qua facit: facit enim se non posse quin faciat quod prius non facere licite poterat. Majus igitur aliquid meretur apud Deum qui ex voto aliquid facit, quam qui illud facit sine voto.

Amplius. Ad laudem boni operis pertinet quod voluntas firmetur in bono, sicut ad aggravationem culpæ pertinet quod voluntas sit obstinata in malo. Manifestum est autem quod qui aliquid vovet, voluntatem suam firmat ad id quod vovet: et sic cum implet quod voverat, opus bonum ex voluntate firmata procedit. Sicut igitur ad gravamen culpæ pertinet quod ex proposito firmato aliquis malum operetur, hoc enim est ex malitia peccare, ita ad augmentum meriti pertinet quod aliquis bonum opus operetur ex voto.

Item, quanto aliquis actus ab excellentiori virtute progreditur, tanto laudabilior est, cum tota laus operis ex virtute procedat. Contingit autem quandoque actum inferioris virtutis a superiori virtute imperari; puta cum aliquis actum justitiæ ex Charitate facit. Multo igitur melius est opus virtutis inferioris facere ex imperio superioris virtutis, sicut melius est opus justitiæ, si ex Charitate fiat. Manifestum est autem quod particularia bona opera quæ facimus, pertinent ad aliquas inferiores virtutes: puta jejunare, ad abstinentiam: continere, ad castitatem; et sic de aliis. Vovere autem est proprie latriæ actus, quam nulli dubium esse debet esse potiorem vel abstinentia vel castitate, vel quacumque alia hujusmodi virtute, majus enim est colere Deum quam recte se habere ad proximum aut seipsum. Opus igitur abstinentiæ vel castitatis vel cujuscumque talium virtutum, quæ sunt infra latriam, laudabilius est, si ex voto fiant.

Huic etiam suffragatur pium Ecclesiæ studium, quæ homines ad vovendum invitans et voventibus ire in subsidium Terræ-Sanctæ vel alias in defensionem Ecclesiæ, indulgentias et præmia largitur. Non autem invitaret ad vovendum, si melius bona opera esset facere sine voto; hoc enim esset contra exhortationem Apostoli I Cor. 12, 31: Æmulamini charismata meliora. Unde, si melius esset bona opera facere absque voto, non invitaret ad vovendum, sed etiam a vovendo retraheret vel prohibendo, vel etiam dissuadendo. Similiter etiam cum Ecclesiæ intentio sit homines fideles ad meliorem statum reducere, omnes a votis factis absolveret, ut sic eorum bona opera laudabiliora existerent. Patet igitur hujusmodi positionem repugnare ei quod communiter Ecclesia tenet et sentit; unde et tanquam hæretica reprobanda est.

3. Ad ea vero quæ pro se objiciunt, facile est multipliciter respondere.

Primo enim quod dicunt quod opus bonum ex voto factum est minus voluntarium, non est universaliter et in omnibus verum. Multi enim sunt qui ea quæ voverunt, tam prompta voluntate faciunt, ut etiam si non vovissent, non solum facerent sed voverent. — Secundo, detur quod aliquod bonum opus quod quis facit ex voto vel obedientia, simpliciter consideratum, sit involuntarium; sed tamen facit hoc ex necessitate voti vel obedientiæ, quam non vult præterire; adhuc dum hoc facit, laudabilius operatur et magis meritorie quam si prompta voluntate illud faceret sine voto. Etsi enim non habet voluntatem propriam illud faciendi, puta jejunandi; habet tamen voluntatem promptam votum implendi, vel obediendi; quod est multo laudabilius et magis meritorium quam jejunare; unde plus meretur quam ille qui sua voluntate jejunat; tantoque voluntas votum implendi aut obediendi promptior judicatur, quanto id quod aliquis facit propter obedientiam vel votum, magis in se consideratum voluntati repugnat.

Unde Hieronymus ad Rusticum Monachum dicit: Per hæc omnia ad illud tendit oratio, ut doceam te non tuo arbitrio dimittendum; Et post pauca dicit: Non facias quod vis, comedas quod juberis, habeas quantum acceperis, vestiaris quod datur, operis tui pensum persolvas, subjiciaris cui non vis, lassus ad stratum venias, ambulansque dormites, et necdum expleto somno surgere compellaris. Ex quo patet quod ad meritum boni operis pertinet ut quæ aliquis propter seipsa non vellet, propter Deum faciat aut patiatur, quia tanto invenitur voluntas promptior ad fervorem divini amoris, quanto magis ea quæ propter Ipsum facimus aut patimur, nostræ voluntati repugnant. Unde et Martyres maxime commendantur, quanto plura sustinuerunt propter Dei amorem contra voluntatem humanam; unde II Mac. 6, 30, Eleazarus dum torqueretur dixit: Diros corporis sustineo dolores; secundum animam vero propter timorem Dei libenter hæc patior. Tertio datur quod nec etiam aliquis ipsam voluntatem retineat votum servandi aut obediendi, manifestum est quod cum Deus judex sit cordium, apud Deum talis habetur quasi voti fractor, aut obedientiæ prævaricator. Si tamen impleat quod vovit, vel quod ei præcipitur, solo humano timore, vel pudore, non est ei meritorium apud Deum, quia non facit voluntate Deo placendi, sed humana necessitate coactus. Nec tamen inutiliter vovit, si ex charitate vovit, nam plus meruit in vovendo quam alias simpliciter jejunando, quod meritum ei reservatur, si de prævaricatione cordis pœniteat.

Per hoc etiam patet responsio ad auctoritates inductas, quæ loquuntur de necessitate humana, cum aliquis scilicet ex pudore vel timore humano facit quod juravit vel vovit: non autem loquuntur de necessitate quæ est ex fine dilectionis divinæ; puta, cum aliquis facit vel patitur ea quæ alias nollet, ut impleat Voluntatem divinam. Et hoc patet ex verbis Apostoli, qui dicit II Cor. 9, 7: Non ex tristitia

aut necessitate. Tristitiam enim humana necessitas inducit; necessitas autem dilectionis divinæ tristitiam tollit vel minuit. — Patet etiam hoc ex verbis Prosperi dicentis: Ne non devoti, sed inviti rem non voluntarie faciamus. Non enim necessitas quæ ex divina dilectione procedit minuit dilectionem, sed auget. Et quod talis necessitas sit laudanda et appetenda, patet per hoc quod Augustinus dicit in Epistola ad Armentarium et Paulinam: Quia jam vovisti, jam te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet. Priusquam esses voti reus, liberum fuit quod velles, facere; sed tunc esses inferior, quamvis non sit gratulanda libertas, qua fit ut non debeatur quod cum lucro redditur. Nunc vero quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam justitiam invito (scilicet ad continentiam quam jam voveras, ut per superiora apparet), sed a magna iniquitate deterreo. Non enim talis eris, si non feceris quod vovisti, qualis mansisses, si nihil tale vovisses, minor enim tunc esses, non pejor; modo autem tanto (quod absit) miserior, si fidem Deo fregeris, quanto beatior, si persolveris. Nec ideo te vovisse pœniteat: imo gaude jam tibi non sic licere quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaque intrepidus, et dicta imple factis; Ipse adjuvabit Qui vota tua expetit. Felix est necessitas quæ ad meliora compellit. Patet etiam ex his verbis erroneum esse quod dicunt quod aliquis non tenetur de implendo votum de Religione intranda.

4. Caput XVII. Est autem considerandum quod, sicut supra præmisimus, perfectionis est non solum aliquod opus perfectum facere, sed etiam opus perfectum vovere: de utroque enim consilium datur, ut supra dictum est. Qui ergo aliquod opus perfectum ex voto facit, ad duplicem perfectionem attingit: sicut qui continentiam servat, unam perfectionem habet; qui autem ex voto se obligat ad continentiam servandam et eam servat, habet et continentiæ perfectionem et voti. Perfectio autem quæ est ex

voto, conditionem mutat et statum, secundum quod libertas et servitus diversæ conditiones vel status esse dicuntur. Sic enim accipitur status (Decreti Gratiani II pars, causa II, q. VI, c. XL) II, quæst. IX, ubi Adrianus Papa ait: Si quando in causa capitali vel causa status interpellatum fuerit, non per exploratores, sed per seipsos est agendum. Nam dum aliquis vovet continentiam servare, adimit sibi libertatem ducendi uxorem; qui autem simpliciter continet absque voto, prædicta libertate non privatur. Non ergo in aliquo mutatur ejus conditio, sicut mutatur conditio ejus qui vovet. Nam et apud homines, si quis alicui obsequatur, non ex hoc conditionem mutat; sed si obligat se ad serviendum, jam alterius conditionis efficitur. — Sed considerandum est quod potest aliquis sibi libertatem adimere vel simpliciter, vel secundum quid. Si enim aliquis se Deo, vel homini, obliget ad aliquid faciendum speciale, et pro aliquo tempore, non simpliciter libertatem amisit, sed solum secundum illud ad quod se obligarit. Si autem se totaliter in potestate alicujus ponat, ita quod nihil sibi libertatis retineat, simpliciter conditionem mutavit factus simpliciter servus. Sic ergo dum aliquis Deo vovet aliquod particulare opus, puta peregrinationem, aut jejunium, aut aliquod hujusmodi, non simpliciter conditionem vel statum mutavit, sed secundum aliquid tantum. Si vero totam vitam suam voto Deo obligavit, ut in operibus perfectionis Ei deserviat, jam simpliciter conditionem vel Statum perfectionis assumpsit. Contingit autem aliquos opera perfectionis facere non voventes; aliquos vero totam vitam suam voto obligantes ad perfectionis opera, quæ non implent. Unde patet quosdam perfectos quidem esse, qui tamen perfectionis Statum non habent; aliquos vero perfectionis Statum habere, sed perfectos non esse.

Licet multa etiam supersint dicenda specialia, verbi gratia de Opere Dei cui nihil est præponendum juxta Regulam S. Benedicti, et de tot operibus charitatis erga proxi-

mos: tamen in hac Sectione II dictis nihil addetur, tum ne opusculi limites excedantur, tum quia ad præfixum scopum amplissime sufficere videntur hucusque dicta.

5. Horum omnium legitima conclusio videtur: Religionis Status omnia opera satisfactoria superat etiam ratione bonitatis. — Unde apparet Religionis Statum, sive ratione pœnalitatis, sive ratione bonitatis, omnia alia ad satisfaciendum opera longe superare. Atqui ab omnibus conceditur hominem per alia opera pœnitentiæ plene pro pœnis peccato debitis satisfacere, ergo a fortiori concedendum est hominem per opus omnia alia superans satisfacere.

SECTIO TERTIA.

Religiosæ Professionis, qua Religiosus Status suscipitur, valor satisfactorius demonstratur.

Ipsa Religionis Professio, ut ex divo Thoma et aliis optime dicit Cardinalis DE LUGO, de Pœnit., disp. 24, Sect. 3, n. 33, affert secum expiationem totius pœnæ temporalis debitæ, et hoc quidem ex opere operantis, nempe propter excellentiam actionis; et tamen non habet ille actus multum pœnalitatis formaliter. Ratio est quia castigatio (Cfr. supra in doctrina de Satisfactione nº 15, p. 177) non placat, nisi ut informata affectu, quo peccator vult se laudabiliter castigare: ergo quo laudabilius vult, eo magis placat, crescente forma, a qua habet ejusmodi activitatem placandi.

Inspicienda est igitur voluntas, ut appareat quantum laudabilis reperiatur in Religionis Professione. Considerari autem potest, sive in objecto quod intendit, sive in modo,

scilicet votorum emissione, quo objectum prosequitur. In utroque autem laudabilissima affulgebit voluntas.

A. Et primo quidem si voluntas in objecto quod intendit consideratur, meriti pars quæ exinde ipsi competit definienda est. Quum vero in Religionem Profitente jure merito supponatur voluntas perfecta, scilicet quæ opportunitate data operaretur, unde et efficax nuncupatur; de hac sola perfecta seu efficaci voluntate inquirere sufficiet, prius de illa in genere dicendo, deinde in specie, id est, prout est in Religionis Professione.

I. In genere. Auditur in scholis propositio sequens: „Voluntas perfecta seu efficax in Dei oculis pro facto habetur et remuneratur." Quæ triplici præcipue argumento suadetur: Scriptura sacra. SS. Patrum et Doctorum auctoritate, et ratione theologica.

a). Scriptura sacra: Gen. XXII, Filium senectutis suæ unicum et dilectum immolare jussus Abraham jam ad opus impositum peragendum paratus, „10 Extendit manum et arripuit gladium, ut immolaret filium suum. 11 Et ecce Angelus Domini de Cœlo clamavit... 12 Dixitque ei: Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam: nunc cognovi quod times Deum, et non pepercisti unigenito filio tuo propter Me." Et infra „16 Per Memetipsum juravi, dicit Dominus: quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter Me: 17 Benedicam tibi... 18 Et benedicentur in te omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ". In Abraham est voluntas perfecta seu efficax quæ opportunitate data operaretur, sed a jussione implenda ab Angelo Dei impeditur, quippe qui dixit ei: Non extendas, etc. Nihilominus laudatur ut timens Deum, et non parcens unigenito filio suo propter Ipsum; et in remunerationem solius voluntatis, Benedictio præcedentibus omnibus pretiosior promittitur, quæ facto tribui affirmatur: „Quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter Me... quia obedisti voci

meæ." Et tamen non nisi voluntate perfecta seu efficaci obedivit jussionem implens.

Matth. XVIII, 23 „ Ideo assimilatum est regnum Cœlorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis. 24 Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta. 25 Cum autem non haberet unde redderet, jussit eum Dominus ejus venumdari, et uxorem ejus, et filios, et omnia quæ habebat, et reddi. 26 Procidens autem servus ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. 27 Misertus autem Dominus servi illius, dimisit eum, et debitum dimisit ei," nihil ultra hanc bonam voluntatem requirens.

Luc. XV, Filius prodigus summa pressus miseria dicit apud semetipsum: 18 „ Surgam et ibo ad patrem meum, et dicam ei: Pater, peccavi in Cœlum, et coram te: 19 Jam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de mercenariis tuis. 20 Et surgens venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum. 21 Dixitque ei filius: Pater, peccavi in Cœlum, et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus. 22 Dixit autem pater ad servos suos: Cito proferte stolam primam, et induite illum, et date annulum in manum ejus, et calceamenta in pedes ejus. 23 Et adducite vitulum saginatum, etc.." Pater misericordia motus, sola voluntate efficaci contentus, quam, in intimo cordis pœnitentis prælectam integre verbis proferri non patiens, pro sufficienti satisfactione habet, statim de afferenda stola prima etc. curat.

b) Idem SS. Patrum et Doctorum auctoritate evincitur.

S. Ambrosius, l. 1, de Abraham, locum Genesis XXII, „ Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam..." commentans ajit: Hoc est dicere: Affectum tuum inquisivi, non factum exegi." — Ps. I, „ Sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die

ac nocte" scribit: „Hoc est, beatus ille qui hæc facit consilio, ratione, prudentia... quia vir sapiens subditus legi est voluntate, non necessitate. Plurimum enim refert: quia in voluntate, mercedis est fructus: in necessitate, dispensationis obsequium... Prior voluntas, secunda operatio." Sed si in voluntate mercedis est fructus, quando prior voluntas adest, jam mercede sua non frustrabitur homo ille, licet non sequatur operatio.

S. Joannes Chrysostomus locum Genisis interpretans dicit: „Contentus sum voluntate tua, et ex hac te corono et prædico."

S. Augustinus, Ps. 103, Serm. 1, n. 19 in medio: „Coronat Deus voluntatem, ubi non invenit facultatem." — Ps. 125, n. 12, Comparatis vidua et Zachæo, adducit illum qui ex paupertate calicem aquæ frigidæ tantum porrigit, et subdit: „Quod si nec hoc habeat? Securus sit, etsi nec hoc habet: Pax in terra hominibus bonæ voluntatis: tantum illud timeat, ne habeat et non faciat. Si enim habet et non facit, intus gelavit; nondum soluta sunt peccata ejus sicut torrens in austro, quia voluntas frigida est. Quid valent tanta bona quæ possidemus? Accedit voluntas fervens, jam soluta calore austri; etsi nihil habeat, totum illi computatur." – Ps. 134, n. 11, in fine: „Cor quærit, cor inspicit, intus testis est, judex, approbator, adjutor, coronator; sufficit ut offeras voluntatem... et respondetur tibi: Pax in terra hominibus bonæ voluntatis (Luc. 2, 14)." – Ps. 57, v. 3. Etenim in corde iniquitates operamini in terra... subdit: „Quidquid vis et non potes, factum Deus computat." — Sermone 19 de Scripturis, c. 5, „Sed forte conversus ad Deum, statim morieris, opera tua nulla forte invenientur in illo thesauro? Plane ibi invenies opera tua, quia scriptum est: Pax in terra hominibus bonæ voluntatis (Luc. 2, 14). Deus non annotat facultatem, sed coronat voluntatem. Scit quia voluisti, et non potuisti; sic te annotat, quasi feceris quod voluisti."

S. Leo Papa, de Quadrag. Serm. 2: Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur (Matth. 5). „Nulli enim parvus est census, cui magnus est animus: nec de rei familiaris modo mensura miserationis pendet aut pietatis. Nunquam merito caret, etiam in tenui facultate, bonæ voluntatis opulentia. Majora quidem impendia sunt divitum, et minora mediocrium: sed non discrepat fructus operum, ubi idem est affectus operantium."

S. Petrus Chrysologus in Ps. 28, Serm. 10, „Denique patris suspensa est dextra, patris gladius est remotus: quia non quærebatur mors filii, sed patris charitas probabatur: nec expectabatur sanguis filii, sed tota victima in patris dilectione constabat, Scriptura dicente: Nunc scio quia diligis Deum; quia non pepercisti unigenito filio propter Me."

S. Gregorius Papa, In Evangelia, Hom. 5: „Multa, fratres, reliquistis, si desideriis terrenis renuntiatis. Exteriora etenim nostra Domino quamlibet parva sufficiunt: cor namque et non substantiam pensat. Nec perpendit quantum in Ejus sacrificio, sed ex quanto proferatur... Regnum itaque Dei, ut diximus, tantum valet, quantum habes. Pensate igitur, fratres, quid vilius cum emitur, quid carius cum possidetur? Sed fortasse nec calix aquæ frigidæ suppetit qui indigenti præbeatur: etiam tunc securitatem nobis promittit sermo divinus. Redemptori etenim nato, Cœli cives ostensi sunt, qui clamarent: Gloria in excelsis Deo: et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Ante Dei namque oculos nunquam est vacua manus a munere, si fuerit arca cordis repleta bona voluntate. Hinc etenim Psalmista dicit: In me sunt Deus vota tua: quæ reddam laudationes Tibi (Ps. 55). Ac si aperte dicat: Etsi exterius munera offerenda non habeo, intra memetipsum tamen invenio quod in ara tuæ laudis impono: quia Qui nostra datione non pasceris, oblatione cordis melius placaris. Nihil quippe offertur Deo diutius voluntate bona."

S. Bernardus, Epistota 77 ad Hugonem, c. 2, n. 8: „Quid

planius quod voluntas pro facto reputatur, ubi factum excludit necessitas?" In quo notat Mabillion: In iis autem operibus, in quibus non opus operatum spectatur sed meritum operantis, voluntas dummodo sit magna satis et efficax, pro facto proptera reputatur, quod tota meriti ratio in voluntate posita sit, quæ tanta esse potest absque opere, quanta operi conjuncta, atque interdum etiam major. In hoc igitur operum genere proprie locum sibi vindicat illud, Voluntas pro facto reputari.

D. Thomas, 1. 2, q. 20, a. 4 „... Unde non est perfecta voluntas nisi sit talis, quæ opportunitate data operetur. Si vero possibilitas desit, voluntate existente perfecta, ut operaretur, si posset: defectus perfectionis, quæ est in actu exteriori, est simpliciter involuntarium. Involuntarium autem sicut non meretur pœnam vel præmium in operando bonum aut malum, ita non tollit aliquid de præmio vel pœna si homo involuntarie simpliciter deficiat ad faciendum bonum vel malum." — 2. 2, q. 81, a. 6, ad 1: Dicendum quod laus virtutis in voluntate consistit, non autem in potestate, et ideo deficere ab æqualitate, quæ est medium justitiæ, propter defectum potestatis non diminuit laudem virtutis, si non fuerit defectus ex parte voluntatis."

Hisce SS. Patrum et Doctorum testimoniis alia permulta addi possent, quæ nihilominus ad tœdiosam prolixitatem fugiendam consulto omittuntur. Pius tamen æque ac doctus lector post scientiæ laborem, pietatis alimentum lætus excipiet; et ideo hic nonnulla ex Revelationibus Mechtildianis et Gertrudianis, quæ eamdem veritatem quasi novo illustrent lumine, subjiciuntur.

S. Mechtildis, in Helftensi Monasterio Cantrix († 1298). Liber specialis gratiæ. P. IV, C. LII. Quod Deus voluntatem suscipit pro facto. — Orante ea pro quodam contristato, dixit Dominus: Si quis ita tristatur, ut sibi videatur quod libentius moreretur, quam illam perferat tristitiam; *quoties*

illud gravamen Mihi obtulerit, proponens in eo de cætero velle durare, toties oblationem illam suscipiam, ac si pro me passus sit.

S. Gertrudis Magna, Helftensis Monasterii Religiosa († 1302). Legatus divinæ pietatis. L. III, c. XXX. De utilitate voluntatis... Inter Missam *Veni et ostende* (Sabb. IV Temporum in Adv.) etc., apparuit Dominus quasi totus mellens dulcedine divinæ gratiæ, vivificum atque divinum de Se dans spiramentum, dimittensque Se de sublimi solio imperialis Gloriæ suæ quasi ad infundendum copiosius cuilibet desideranti divinæ gratiæ suæ influxum, per festum dulciflui sui Natalis. Tunc illa pro sibi commissis oravit, ut Dominus singulos donaret gratia potiori, et tale accepit responsum: Ego cuilibet donavi fistulam auream talis virtutis, ut cum ea quilibet sibi attrahere possit de intimis mei deificati Cordis quæcumque desiderat. Quam fistulam illa intellexit *bonam esse voluntatem;* per quam homo omne bonum spirituale, tam cœlestium quam terrestrium, sibi potest proprie vindicare: verbi gratia: cum homo desiderio accensus vellet tantum se posse exhibere Deo laudis, gratiarum actionis, obsequii et fidelitatis, quantum aliquis Sanctorum Sibi exhibuit, *hanc talem voluntatem acceptat immensa Dei Bonitas quasi perfectam.* Sed fistula exinde aureo colore nobilitatur, cum homo regratiatur Deo, quod tam nobilem donavit voluntatem, cum qua in infinitum plus lucrari potest, quam universus mundus totis viribus perficere posset... (Haurientes autem) tanto copiosius suaviusque suscipient in se torrentem divinæ suavitatis, quanto plenius se totos commiserunt Ipsius Voluntati.

Ibidem, L. III, c. LXXXIX. Quod voluntas acceptatur pro opere. — Orans etiam pro quadam quæ multum gravabatur ex quodam labore sibi injuncto, hoc a Domino edocta est responso: Si quis propter Me vult aggredi aliquem laborem nimis gravem, et in quo etiam timet tale

impedimentum, quod devotionis timet inquirere detrimentum, et insuper postponit propriæ animæ detrimentum, ut perficiat Voluntatem meam: *talem voluntatem Ego pro tanto reputo, quod ipsam solam suscipio quasi pro opere perfecto*, quamvis nunquam ad hoc veniat, ut homo hoc opus saltem incipiat: quod tamen *habet coram Me talem fructum, ac si omnem laborem perfecerit, et nullam unquam negligentiam interea contraxerit.*

Ibidem, L. IV, C. II... Cum vero legeretur tabula, in qua pronuntiabantur nomina earum quæ ad Matutinas erant cantaturæ vel lecturæ, Dominus singulas personas quæ ob studium intendebant audire quid eis foret præscriptum, tam serena blanditate videbatur respicere ac motu capitis devote resalutare, quod hoc humana lingua non sufficit enarrare. Sed quæ cum mœrore tractabant, cur eis similiter illa vel illa Responsoria non essent præscripta, illarum mentum Dominus blande contrectans, ipsas benigne demulcendo consolabatur. Tunc ista hæc intelligens in spiritu, dixit ad Dominum: O Domine, si Congregatio sciret hunc tam benignæ blanditatis tuæ in eas respectum, valde mœrentes fierent, quæ suum nomen legi non audirent. Ad quod Dominus: *Quæcumque libenter legeret vel cantaret si posset, et dolet pro eo quod perficere non potest; hanc Ego simili blanditate consolabor, et bonam ipsius voluntatem pro perfecta remunerabo.* Et adjecit Dominus: Si quælibet, quando audiret aliqua sibi adscripta, cum intentione *voluntatem suam ad hoc cum capite inclinaret*, quod ad laudem meam libenter perficere vellet et commendaret Mihi, ut Ego eam ad idem digne perficiendum juvarem: *quoties aliqua hoc faceret, toties Pietas mea tam efficaciter Me ipsi attraheret*, quod Me nullatenus valerem continere quin osculum ei infigerem suave. — Et c. XL... benignus Dominus, *qui bonam voluntatem hominis acceptat pro facto*, videbatur... *perficere omne desiderium.*

c). Idem RATIONE THEOLOGICA evincitur. Deus solus a

Se habet et Voluntatem et Potestatem, quæ in Ipsius simplicissima Essentia una eademque sunt facultas, testante Sacra Scriptura: Verbo Domini (jussione Domini) Cœli firmati sunt (Ps. 32, 6). Dixitque Deus (jussitque Deus): Fiat lux. Et facta est lux (Gen. 1, 3). Quia Ipse dixit, et facta sunt: Ipse mandavit et creata sunt (Ps. 148). Deus autem noster in Cœlo: omnia quæcumque voluit fecit (Ps. 113). Et ecce leprosus veniens adorabat Eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens Jesus manum, tetigit eum, dicens: Volo. Mundare. Et confestim mundata est lepra ejus (Matth. 8, 2 et 3). Quem locum commentans S. Fulgentius Ruspensis, ad Trasimundum Regem, l. 2, c. 12, scribit: Cum dicit, si vis potes, ostendit divinam Voluntatem ipsam esse plenissimam Potestatem. Denique etiam Dominus hoc misericorditer effectu curationis ostendit, quod crediderat fideliter qui poposcit, ait enim: volo mundare: et confestim sanata est lepra ejus." Eadem ex Luca commentans S. Ambrosius l. 5 in Ev. Luc., c. 5, scribebat: „In Voluntate Domini posuit Potestatem. De Voluntate autem Domini non quasi Pietatis incredulus addubitavit, sed quasi colluvionis suæ conscius non præsumpsit. Cui morali quadam Dominus Pietate respondit: Volo, mundare. Et confestim lepra ejus discessit ab eo. Nihil enim medium est inter opus Dei atque præceptum, quia in præcepto est opus. Denique dixit, et facta sunt. Videtis igitur quod dubitari non potest, quia Voluntas Dei Potestas est. Si ergo Voluntas Dei, Ejus Potestas est: qui unius Voluntatis Trinitatem asserunt, unius utique asserunt Potestatis."

In homine autem Deus operatur et velle et perficere pro bona Voluntate (Philip. 2, 3): nunc velle tantum, nunc velle et perficere simul ei tribuens, cooperationem ejus, qua accepto velle per consensum divinæ Voluntati jungatur, accepto et velle et perficere per consensum cum gratia operetur, remuneraturus expectat. Habentis ergo velle

tantum, vel cum velle etiam et perficere, hominis meritum in utroque casu in pleno voluntatis suæ cum gratia consensu positum reperitur. Unde sequitur homini in tuto esse totum meritum, sive velle tantum habeat, sive et velle et perficere simul, quotiescumque verum, sincerum et efficacem suæ voluntatis assensum præbuerit. Quo patet bonam voluntatem, id est perfectam seu efficacem, idem mereri in solo velle cui perficere non adjacet, ac in velle et perficere simul junctis, et rite nihil aliud hominibus per Angelos in Christi Nativitate annuntiandum fuisse quam, „Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis" quæ et in velle tantum, et in velle simul et perficere sufficit, imo sine qua ipsum perficere homini nihil proficeret. Hæc præclare exposuit S. P. N. Bernardus, in Tractatu de Gratia et libero arbitrio ad Guillelmum Abbatem S. Theoderici, c. 14, n. 46. Superioris capitis dicta hac concluserat sententia: „Hinc coadjutores Dei, cooperatores Spiritus Sancti, promeritores Regni nos esse præsumimus, quod per consensum utique voluntarium divinæ Voluntati conjungimur." Exinde oritur quæstio capite 14 solvenda: „Quid igitur? Hoc ergo totum liberi arbitrii opus: hoc solum ejus est meritum quod consentit? Est prorsus. Non quidem quod vel ipse consensus, in quo omne meritum consistit, ab ipso sit: cum nec cogitare (quod minus est, quam consentire) aliquid a nobis quasi ex nobis sufficientes simus. Verba sunt non mea, sed Apostoli (2 Cor. 3), qui omne quod boni esse potest, id est cogitare, et velle et perficere pro bona Voluntate attribuit Deo (Philip. 2), non suo arbitrio. Si ergo Deus tria hæc, hoc est bonum cogitare, velle, perficere, operatur in nobis: primum profecto sine nobis; secundum, nobiscum; tertium per nos facit. Siquidem immittendo bonam cogitationem, nos prævenit; immutando etiam malam voluntatem, Sibi per consensum jungit: ministrando et consensui facultatem, foris per apertum opus nostrum Opifex innotescit. Sane ipsi nos præ-

venire nequaquam possumus. Qui autem bonum neminem invenit, neminem salvat quem non prævenit. A Deo ergo sine dubio nostræ fit salutis exordium, nec per nos utique, nec nobiscum. Verum consensus, et opus, etsi non ex nobis, non jam tamen sine nobis. Neque primum itaque, in quo quippe nos nihil facimus; nec ultimum, quod et plerumque extorquet aut timor inutilis, aut simulatio damnabilis; sed tantum medium nobis reputatur in meritum. Sola nempe interdum bona voluntas sufficit; cætera non prosunt, si sola defuerit. Non prosunt dixerim, sed agenti, non cernenti. Valet itaque intentio ad meritum, actio ad exemplum, utramque præveniens cogitatio tantummodo ad excitandum."

II. Et hæc sint dicta de voluntate in genere. Nunc jam de voluntate dicendum prout in Religionem Profitente reperitur.

1. Dictum est supra: „In Religionem Profitente voluntas supponitur *perfecta*, quæ data opportunitate operaretur etc." quæ suppositio nullo modo gratuita dici potest. Voluntas enim illa, uti in Abrahamo, exiit de *nocte hujus sæculi*, per longam trium dierum viam ad montem in terra visionis, id est *quantum distant tenebræ caliginosi sæculi a clara luce spiritualis studii viam longam percurrens venit ad Claustrum, montem in terra vitæ spiritualis eminentem;* ibique, *per tyrocinii annum integrum ad minus*, omnia, altare, ligna, ignem, et victimam ad holocaustum disposuit, id est *cor, bona externa, divinam charitatem, corpus et animam disposuit ad perpetuam Religionis Professionem;* nec extendit manum, nec arripit *gladium formulæ Professionis ad holocaustum immolandum*, nisi *Superiore omnia rite disposita nomine Christi Ecclesiæ approbante.* Jure merito ergo talis voluntas supponitur perfecta seu efficax, quæ et tam diuturno exercitio excrescit, et ad propositum etiam votis firmandum parata invenitur.

2. Sed quidnam hæc in Religionem Profitente voluntas

intendat considerandum est. Deo offerre vult perfectissimam pœnitentiam per totum vitæ cursum peragendam; et hanc victimam gratiorem adhuc, per Religionis virtutem in votis cohonestatam; unde et istius pœnitentiæ et hujus virtutis meritum in actu Professionis consequitur hæc voluntas. Et hæc superabundanter ad debitam satisfactionem solvendam sufficere probatur dupliciter. Primo quidem quia in se meritum perfectissimæ pœnitentiæ Religionis virtute cohonestatæ continet, ut jam dictum est. Secundo autem quia debitor, in amicitia cum creditore suo existens, satisfecisse æstimatur pro debito suo quando creditori suo omne quod potest offert (1); quod communiter a Theologis in satisfactione pro pœna, peccato remisso quoad culpam, admittitur. Atqui hic Professitentis voluntas plus offerre non potest quam tria bona hujus viæ, divitias, corporis voluptates, et propriam animæ libertatem; ergo hæc offerendo plenissimam omnis pœnæ debitæ condonationem meretur.

B. Secundo vero si voluntas consideratur in modo quo objectum suum prosequitur, nempe in tribus perpetuis Religionis approbatæ votis, quid meriti ex his votis, præter Religionis virtutis meritum de quo jam satis dictum est, consequatur voluntas, inquirendum remanet. Hoc interest Religiosam vitam proponentem inter et voventem: prior libere exequetur propositum, posterior de præcepto vota sua adimplebit. Unde Religionis Professio multipliciter comparari habet cum Baptismo, in quo promissiones eduntur, vulgo Baptismalia vota nuncupata; et eodem nomine apostatæ veniunt et a vita Christiana post Baptismum recedens, et a vita Religiosa post Professionem deficiens. Ex votis Baptismalibus et ex votis Religiosis oriuntur in baptizato et in professo mutatio status, accessio ad Eccle-

(1) Cfr. D. Thomam, Suppl. 3 p., q. 13, a. 1, Layman et Reiffenstuel, supra, etc.

siæ Christi primum vel secundum gradum, susceptio oneris cum bonorum jactura.

I. Mutatio status. 1. De Baptismo hæc definit Tridentina Synodus, Sess. 5, can. 5... In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis, qui (Rom. 6, et Cap. Proprie, de Cons. dist. 4) vere consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem: qui (Rom. 8) non secundum carnem ambulant, sed (Colos. 3) veterem hominem exuentes, et (Eph. 4 et Cap. Quomodo renovari, de Pœnit. dist. 1) novum, qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt (Rom. 8, Gal. 3), hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu Cœli remoretur." Mutatio hæc in promissione catechumeni intenditur, quippe qui transiturus a vita gentili ad vitam Christianam abrenuntiat Satano, operibusque ac pompis ejus, ut deinceps solum Christum Regem sequatur. Attamen, cum nonnisi supernaturali gratiæ virtute talis regeneratio fieri possit, adsit necesse est Baptismi Sacramentum, in re vel in voto susceptum, juxta divinam ordinationem; quo mediante, quod promissione sua intendit catechumenus, mutatio hæc seu regeneratio perficiatur. Mutatione vero illa, Baptismi Sacramento in re vel in voto suscepto perfecta, catechumenus Sacramentalem conformationem acquirit (de qua sermo fuit supra in initio doctrinæ de Satisfactione) cum morte, sepultura et ressurrectione Christi, et modo ita integro ut non tantum culpæ sed et pœnæ reatus tollatur. Inde etiam Baptisma cæteris Sacramentis specialius Passionis Sacramentum vocatur, quia Passio Christi operatur in Baptismo per modum cujusdam generationis, quæ requirit ut homo totaliter priori vitæ moriatur, ad hoc ut novam vitam accipiat; et ideo tollitur in Baptismo totus reatus pœnæ, qui pertinet ad vetustatem prioris vitæ. Sed in aliis Sacramentis operatur virtus Passionis Christi per modum sanationis, ut in Pœnitentia. Sana-

tio autem non requirit ut statim omnis infirmitatis reliquiæ auferantur. (Ita distinguit D. Thomas, Rom. c. XI, lect. 14).

2. In Religionis Professione similis dignoscitur et exponitur mutatio status, prout documenta plurima testantur. — Sic Rupertus, in Regulam S. Benedicti l. 4, c. 9 : Dic mihi, Habitum Monachicum solemnemque ita observare, ut a Sanctis Patribus traditum est, superfluum vel otiosum putas, an non? Hujusmodi cum Habitum sive hoc indumentum Sancti Patres, imo Qui in Sanctis Patribus operatus est, voluit haberi mortificationis signum, utpote Crucis Dominicæ similitudinem, ita ut ex consecratione sui, Monachus rursus Christo quodammodo commoriatur et consepeliatur, videlicet triduano silentio capite cooperto, mortificationis vel susceptæ pœnitentiæ circumferens testimonium, spectaculum factus et Angelis et hominibus, tertia tandem die deposito capite revelatur ab Abbate, dante sibi osculum pacis in similitudinem Resurrectionis Domini,... Est enim quoddam asilum pietatis, quo refugere possit omnis, qui criminibus superductis primam Sancti Baptismatis gratiam perdidit, et primam recuperare stolam. — Sic. S. Bernardus, l. de Præcepto et dispensatione, querentibus unde inter cætera pœnitentiæ instituta Monasterialis disciplina meruerit hanc prærogativam ut secundum Baptisma nuncupetur, respondet : Arbitror ob perfectam mundi abrenuntiationem, ac singularem excellentiam vitæ spiritualis, qua præeminens universis vitæ humanæ generibus hujusmodi conversatio, professores et amatores suos Angelis similes, dissimiles hominibus facit : imo divinam in homine reformat imaginem, dum per hoc quod mortificamur membra nostra quæ sunt super terram, rursum Christum induimus, complantati denuo similitudini mortis Ejus. Sed et quomodo in Baptismo eruimur de potestate tenebrarum, et in regnum transferimur claritatis æternæ ; ita et in sancti hujus secunda quadam generatione

propositi, de tenebris æque non unius originalis, sed multorum actualium delictorum in lumen virtutum evadimus, reaptantes nobis illud Apostoli: Nox præcessit, dies autem appropinquavit (Rom. 13). — Et Sermone 11 de diversis:... Itaque, fratres mei, rebaptizari nos convenit, secundum fœdus inire necesse est: opus est professione secunda: nec jam sufficit abrenuntiare diabolo et operibus ejus: mundo pariter abrenuntiandum est, et propriæ voluntati... de cœtero jam in secundo (ut ita dixerim) conversionis nostræ Baptismate merito prorsus, et non ad insipientiam nobis, non resarcire tantummodo fœdus primum, sed etiam roborare solliciti, ipsis quoque affectibus abrenuntiamus. - Et sermone 37 de diversis... Gratias ipsi gratiæ, et (si dici potest) plus quam gratuitæ miserationi, quæ beneficiis obruit non modo immeritos, sed nimium male meritos et ingratos. Gratias Ei Qui regeneravit vos etiam hac vice in spem vitæ, ut adoptionem filiorum reciperitis. Voluntarie enim nunc proprie genuit vos, verbo utique veritatis... Nunc demum voluntaria generatio voluntarium exhibet sacrificium, juxta illud Ps. 53, 8; Voluntarie sacrificabo Tibi et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est. Hæc est generatio quærentium Dominum (Ps. 23, 6). — Sic Cæsarius, Dist. VIII, c. 18: Item de Converso de Lucka, qui vidit Christum cum quindecim Religiosis in aëre crucifixum. Cui Christus: Hi soli in omni congregatione Mecum crucifixi sunt, meæ passioni vitam suam conformantes. — Sic H. Platus in fine ait: „Possumus hæc omnia firmissimo argumento concludere." Et data ratione cur in Baptismo nihil remaneat de reatu pœnæ, subdit: „Hoc igitur idem evenit etiam in Religione. Morimur enim mundo, ejusque operibus, et nobis insuper ipsis ac voluntati nostræ, et ita morimur, ut non magis liceat nobis mundo, ejusque præmiis vel voluntate nostra uti, quam si plane sepulti essemus." — Sic Lessius: Ratio est tum quia per Professionem vetus homo et veteres mores

exuuntur (saltem proposito et Statu ipso), et induuntur novi; unde censetur mors quædam vitæ mundanæ: tum quia se suaque omnia divino obsequio mancipat. Hinc Patres susceptionem Habitus Monastici solent comparare Baptismo. — Sic Bellarminus: Denique dicimus inter Baptismum et Professionem Religionis esse quamdam similitudinem; quod sicut in Baptismo renuntiamus diabolo, et incipimus novam vitam, ita per Professionem Religionis renuntiamus sæculo et multis licitis voluptatibus, et incipimus novam vitam (V Controv. Gen. l. 2 de Monachis, c. 6). — Sic Sanchez: Quare similitudo cum Baptismo in eo sita est. Sicut in Baptismo non idem homo emergit, qui in eum ingressus fuit, sed prior ille mortuus est, et cœpit novus: ex quo rursus sequitur ut prioris illius peccata jam illi non imputentur, sed omnino abluuntur. Sic cum Profitens moriatur sæculo, ac sibi ipsi, desinit esse is qui olim erat, et ideo non mirum est si culparum pœnæ quibus ille obnoxius erat, una cum ipso homine moriantur et obliterentur.

3. Datur ergo indubie mutatio status in Religionis Professione; et tamen ut mutatio ista perficiatur, novum Sacramentum non offertur Profitenti, nec quidem necessarium est. Etenim Profitens jam a priori Baptismate factus est Christi membrum, in quo Capitis gratiæ libere fluunt. Quod si mortiferi peccati adsit ægritudo, patet aditus Sacramenti Pœnitentiæ, quo lapsis post Baptismum, beneficium mortis Christi applicatur; contra vero vitæ spiritualis debilitatem, aperta est ipsi mensa Eucharistica in qua Ipsissima Vita apponitur. Unde devote Profitens egestate catechumeni minime laborat, ad mutationem, quæ gratiam requirit, feliciter perficiendam. Ast quomodo, vel potius in quonam actu mutatio hæc efficitur? Huic quæstioni occurit divus Thomas (1). Opusc. de Perfectione

(1) Cfr. Sectionem Secundam in fine, p. 226, 4.

vitæ spiritualis. c. 17. ubi docet perfectionis esse non solum aliquod opus perfectum facere, sed etiam opus perfectum vovere, quum de utroque consilium detur... Perfectio autem quæ est ex voto, conditionem mutat et statum, secundum quod libertas et servitus diversæ conditiones esse vel status dicuntur... Dum aliquis vovet opus perfectum adimit sibi libertatem non exequendi, quam servat qui simpliciter proponit... Potest autem aliquis sibi libertatem adimere vel simpliciter, vel secundum quid. Sic qui se Deo vel homini obligat ad aliquod speciale faciendum, vel pro aliquo tantum tempore, amittit libertatem secundum illud speciale, vel secundum tempus aliquod... Sic qui totam vitam suam voto Deo obligavit, ut in operibus perfectionis Ei deserviat, jam simpliciter conditionem vel Statum perfectionis assumpsit. — Vota ergo quæ in Religionis Professione emittuntur a devote Profitente, tria scilicet essentialia et perpetua, simpliciter mutant conditionem vel statum. Aliunde nihil timendum ne in votorum emissione a gratia deseratur Profitens, quum nonnisi in Ordine ab Ecclesia approbato, et cum legitimorum Superiorum consensu nomine Ecclesiæ dato, ad profitendum accedat. — Rite ergo concluditur in Religionis Professione, cum gratia Christi unitus Profitens mutationem perficit qua opere operantis acquirit conformationem realem cum Christi passione, deponens hominem sæcularem nunquam ad vitam suam rediturum, et incipiens hominem regularem semper duraturum (saltem proposito et Statu ipso, ut bene monet Lessius: nec amplius a catechumeno in Baptismo præstatur): vetus ergo sepelitur cum Christo - cum Christo surgit novus qui nihil habere debet de pœnis mortuo debitis.

II. Accessio ad Ecclesiæ Christi primum vel secundum gradum. Ex mutatione status desumitur ergo ratio cur in Baptismo et in Religionis Professione omnis pœnæ reatus tollatur; sed rationi huic, congruentiæ etiam

adduntur duæ, quarum prior ad certum Ecclesiæ Christi gradum accessio, posterior oneris cum bonorum jactura susceptio.

1. Sic de Baptismo scribit Suarez. III p., Tom. 3, disp. 26, Sect. 1, n. 9: „Tandem Baptismus est janua ad Ecclesiam, et quasi fundamentum illius, quam Christus cupit esse purissimam et sine macula et ruga; et ideo voluit, ut omnes qui ingrediuntur Ecclesiam per hoc Sacramentum (Baptismum scilicet) perfectissime mundarentur." Congruentia autem hæc ex Apostolo desumpta est (Ephes. V, 25, 26 et 27): „Christus dilexit Ecclesiam, et Seipsum tradidit pro ea, 26, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, 27, ut exhiberet Ipse Sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata." Quem locum commentans D. Thomas, lect. 8 in fine, dicit: Tradidit Seipsum pro ea... Isaias 53, 12. Tradidit in mortem animam suam. Sed ad quid? Ut illam sanctificaret... Iste est effectus mortis Christi. Effectus autem sanctificationis est mundatio ejus a maculis peccatorum; ideo subdit dicens: Mundans eam lavacro aquæ. Quod quidem lavacrum habet virtutem a passione Christi... Et hoc in verbo vitæ, quod adveniens aquæ dat ei virtutem abluendi... Finis autem sanctificationis est puritas Ecclesiæ; idcirco dicit: Ut exhiberet Sibi gloriosam Ecclesiam, quasi dicat: Indecens est quod immaculatus Sponsus sponsam duceret maculatam; et ideo Sibi exhibet eam immaculatam, hic per gratiam, sed in futuro per gloriam; unde dicit: Gloriosam, scilicet per claritatem animæ et corporis... Et ideo addit: Non habentem maculam... neque rugam, id est sine defectu passibilitatis... sed ut sit sancta, per confirmationem gratiæ, et immaculata, ab omni immunditia. Et hæc omnia intelligi possunt de exhibitione quæ erit in futuro per gloriam. Si autem de exhibitione per fidem, tunc diceretur: ut exhiberet Sibi, scilicet per fidem, Eccle-

siam gloriosam, quia gloria magna est sequi Dominum, ut dicitur Eccli. XXIII, 38, non habentem maculam, scilicet criminis mortalis ;... neque rugam, id est duplicitatem intentionis, quam non habent qui recte conjuncti sunt Christo et Ecclesiæ... Sed magis sanctam per intentionem, et immaculatam per omnimodam puritatem... Hucusque D. Thomas. Argumentum ergo congruentiæ Suarezii solide in verbis Apostoli ad Ephesios inniti demonstratur hoc Doctoris Angelici commentario.

2. Sed in Christi Ecclesia stantium duplex datur gradus : gradus fidelium, et gradus perfectionem Profitentium : ad priorem stantium gradum deducitur catechumenus per Baptisma ; ad superiorem stantium gradum provehitur baptizatus per Votorum emissionem. Si vero decens est, ut supra ostensum est, sponsam in inferiori fidelium gradu sine macula non tantum culpæ sed nec pœnæ reatu sordidam exhiberi Sponso suo Christo; a forciori decens est ipsam in superiori perfectionem Profitentium gradu puram et sanctam Eodem exhiberi.

III. Oneris cum bonorum jactura susceptio. Ut congruentia magis in luce proferatur, ad memoriam revocanda est doctrina de Dei liberalitate in genere, et de Ejus liberalitate erga eos qui cum Ipso sunt liberales.

1) D. Thomas, 1 p., q. 44, art. 4 positam quæstionem : Utrum Deus sit causa finalis omnium? sic solvit : Respondeo dicendum quod omne agens agit propter finem. Alioquin ex actione agentis non magis sequeretur hoc quam illud nisi a casu. Est autem idem finis agentis et patientis (id est actionem recipientis) in quantum hujusmodi, sed aliter et aliter. Unum enim et idem est quod agens intendit imprimere, et quod patiens intendit recipere. Sunt autem quædam quæ simul agunt et patiuntur, quæ sunt agentia imperfecta : et his convenit quod et in agendo intendant aliquid acquirere. Sed primo Agenti, Quod est agens tantum, non convenit agere propter acquisitionem

alicujus finis, sed intendit solum communicare suam Perfectionem, quæ est Ejus Bonitas. Et unaquæque creatura intendit consequi suam perfectionem, quæ est similitudo Perfectionis et Bonitatis divinæ. c. Sic ergo divina Bonitas est finis rerum omnium. — Unde ejusdem S. Doctoris fluit responsio ad primum: Ad primum ergo dicendum est quod agere propter indigentiam non est nisi agentis imperfecti: quod natum est agere et pati. Sed hoc Deo non competit. Et ideo Ipse solus est maxime liberalis: quia non agit propter suam utilitatem, sed solum propter suam Bonitatem. Idem scribit Ludovicus de Ponte, p. VI, Med. 13, p. 1: Quare simpliciter et ore pleno licebit dicere, solum Deum esse liberalem, nec ullum alium liberalem esse, nisi Deum, sicut etiam dicimus, et Ipse dixit: Nemo bonus, nisi solus Deus (Luc. 18, 19). Et liberalitas nostra, ad Ipsius liberalitatem comparata, non est liberalitas. Nam, ut ajit Scriptura, 1. Paral. 29, 14, Quæ de manu Ejus accepimus, ea Illi damus; et quidquid Ei damus, mille titulis illud Eidem debemus. Horum titulorum quatuor exponit S. P. N. Bernardus, Serm. 22 de Diversis: De quadruplici debito: „ Vis scire quæ et quibus debeas? Primo Christo Jesu debes omnem vitam tuam, quia Ipse vitam suam posuit pro vita tua, et cruciatus amaros sustinuit, ne tu perpetuos sustineres... Exigunt a me præterita peccata mea futuram vitam meam, ut faciam fructus dignos pœnitentiæ, et recogitem omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.. Quid si tertium tibi debitorem ostendam, qui non minus acriter quam veraciter vendicat eam sibi? Puto quod et tu possidere desideras civitatem, de qua dicitur: Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei (Ps. 86). Gloriam illam quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, regnum omnium sæculorum vivere in æternum, in perpetuas æternitates... Quid dices si et quartum debitorem in medium adduxero, qui sibi etiam jure primatus sui superiores tres cedere velit? Ecce in januis

est Qui fecit Cœlum et terram, et Creator tuus est, tu creatura ; tu servus, Ille Dominus ; Ille figulus, tu figmentum. Totum ergo quod es, Illi debes, a Quo totum habes, Illi præcipue Domino, Qui et te fecit, et benefecit tibi, Qui tibi ministrat siderum cursus, aëris temperiem, fœcunditatem terræ, fructuum ubertatem..."

Solus ergo Deus est maxime liberalis. Ejusque divina Bonitas non Sibi satisfecit, esse et bonitatem naturalem creaturis communicando ; sed et alium excellentissimumque modum elegit, in quo etiam sunt quatuor gradus, qui tamen omnes prædictum esse naturale excellunt. — Primus gradus est esse supernaturalis gratiæ, per quod homines et Angeli eo usque perveniunt, ut efficiantur Divinæ consortes Naturæ (2 Pet. 1, 4), filii et amici Dei. Huic esse conjuncta est charitas et reliquæ supernæ virtutes et Spiritus Sancti dona. -- Secundus gradus est esse gloriæ, quo justi (1 Joan. 3, 2) efficiuntur in perpetuum similes Deo in gloriosis, quas Ille habet, regnantes cum Eo in Ipsius regno. — Tertius et supremus gradus est Esse personale Ipsiusmet Dei, Quod communicavit secunda Person-Sanctissimæ Trinitatis humanæ naturæ. -- Quartus gradus est etiam admirandus. Nam, cum non esset conveniens, ut Filius Dei suum Esse personale communicaret pluribus naturis humanis, Divina Bonitas Ipsum eo inclinavit ac deduxit ut illud Esse Divinum cum duabus Ejus naturis, Divina et humana, communicaret omnibus hominibus in Sanctissimo Altaris Sacramento, conjungens illas ineffabili quodam modo cum speciebus panis et vini, cum quibus totus Ipse Christus, verus Deus et homo, Sese nobis communicat. - In his quatuor beneficiorum gradibus sunt perpendenda duo valde eminentia. Primum est quod infinita Dei Bonitas voluerit explere infinitam suam propensionem, communicandi Se hominibus quatuor prædictis modis ; in quorum duobus postremis soli homini, non vero Angelis (Hebr. 2, 16) communicavit. Quo facto satis aperte

ostendit delicias Ejus esse cum filiis hominum (Prov. 8, 31)... Secundum est, quod, cum infinita Dei Bonitas adverteret, non decere, ut Esse illud Divinum omnibus naturis creatis communicaretur, quo infinitam suam ad Se communicandum propensionem expleret, elegit communicare illam tali uni naturæ, in qua omnes essent, et omnes quatuor gradus essendi, qui in omnibus mundi creaturis sunt distributi; ideoque dicendus est Se omnibus communicasse et omnes honorasse eo modo, qui maxime conveniebat. (Ita Ludovicus de Ponte, VI p., med. 7, p. 3).

En ergo quibus donis Deus præveniat, non sperans aut quærens a creaturis retributionem aut emolumentum aliquod pro Seipso, quia bonorum nostrorum non eget (Ps. 15, 2). Et si requirit gratitudinem et obedientiam suis legibus, id facit, quoniam liberalitas non adversatur justitiæ. Et cum Ipse sit Legislator supremus ac justissimus, tradit præcepta et leges de iis, quæ ex nostra parte tenemur præstare; et in hoc ipso suam etiam liberalitatem ostendit. Nam quidquid nobis jubet aut a nobis petit, eo totum tendit, ut occasionem habeat, plura nobis conferendi et reddendi nostris obsequiis nova præmia (Idem, VI, p. med. 13, p. 1).

2). Sed quid nunc, si consideratur infinita Dei liberalitas erga eos, qui cum Ipso sunt liberales! Nam si adeo est liberalis erga parcos, quanto decet esse liberaliorem erga Secum liberales, cum Ipse dixerit: Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis (Luc. 6, 38); Et quo vos eritis liberaliores Mecum, eo etiam Ego ero liberalior erga vos. Hoc enim luculenter in Veteri Testamento apparet. Sic tribus vicibus Abraham benedicit Deus, sed singulis vicibus fidem suam promptumque obsequium factis commendaverat: primo exeundo de patria ad ignotam regionem, secundo circumcidendo se totamque familiam, tertio non parcendo filio suo unigenito propter Deum. Et quo major in Abraham inventa est liberalitas, eo major etiam a Deo

excrescit data benedictio ; nam tertia vice, repetita priori : Benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum etc., addit Deus : Et benedicentur in Semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ (Gen. 22, 17 et 18). Similia plurima referuntur in historia Israëlitorum, quibus omnia in figuram contingebant, quando vel legem susceperunt, vel etiam post prævaricationem sincero corde requæsierunt. Si hæc in lege timoris, ampliora in lege charitatis reperiuntur, sive in doctrina sive in factis Salvatoris. Testis est parabola filii prodigi, conversio Magdalenæ, Zachæi pœnitentia qui audire meruit : Hodie salus domui huic facta est, eo quod et ipse filius sit Abrahæ (Luc. 19, 9), tanta in peccatores mansuetudo. Audiatur Christus promittens : Date, et dabitur vobis ; mensuram bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinum vestrum (Luc. 6, 38). Dicente Petro : Ecce nos relinquimus omnia. et secuti sumus Te, quid ergo erit nobis ? Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis Me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede Majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit (Matth. 19, 27, 28 et 29). Quæ Gaufridus, Abbas IV Clarevallensis, ex dictis S. Bernardi commentans, dicit : „ Libet sacratissimo huic interesse colloquio, et intima cordis aure percipere quæ dicuntur. Arbitror enim verba lectionis hujus ea esse, de quibus ad immortalem Sponsum a finibus terræ clamat Ecclesia : Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras (Ps. 16). Hæc nempe sunt verba quæ contemptum mundi in universo mundo, et voluntariam persuasere hominibus paupertatem. Hæc sunt quæ Monachis Claustra replent, deserta Anachoretis. Hæc, inquam, sunt verba quæ Ægyptum spoliant, et optima quæque

ejus vasa diripiunt (Exod. 12). Hic sermo vivus et efficax, convertens animas felici æmulatione sanctitatis, et veritatis promissione fideli ". Quid vero sit hoc centuplum? Est gaudium majus nunc de virtute quam olim de possessione (S. Gregorius hom. 18 in Ezech.); — Est spiritualium possessio pro temporalium dimissione (S. Hieronymus et alii): — Est inventio aliorum fratrum Patrum etc., qui se majori charitate et suavitate impendant (Origenes, etc.); — Est sors Apostolorum „ Nihil habentium et omnia possidentium " (2 Cor. VI); — Est Ipse Deus et consequenter totus mundus qui est peculium Dei (Ambrosius in Ps. 118, Octonario 8 paulo post initium); — Est cœlum pro terra (S. Athanasius in vita S. Antonii) — In responsionem innumerabiles Sanctorum vitæ proponi deberent; sed hæc satis ut saltem aliquatenus Dei in homines liberales liberalitas perspecta habeatur.

3) Certa fide scitur catechumenum, in Baptismi susceptione, etiam pœnarum plenissima condonatione donari; nec hoc mirum videtur attente Dei liberalitatem in homines liberales consideranti. Quod si catechumenum baptizandum inter et Novitium professurum comparatio instituatur, vel si prioris promissiones et posterioris vota inter se conferantur, major adhuc congruentia tantæ liberalitatis erga Professum manifestabitur. Etenim catechumenus legem Evangelicam tantum suscipit, ad quam suscipiendam etiam divino præcepto obligatur, Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur (Marc. 16. 16), — partem tantum bonorum hujus sæculi dimittit in quantum scilicet legis adimpletione requiritur, reliquæ partis liberum retinens usum. — Novitius in Professione Religionis legi Evangelicæ addit et consilia, — libera sua electione et invitatus tantum: Si vis perfectus esse, vade et vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in Cœlo: et veni, sequere Me (Matth. 19, 21), — per vota omnia hujus sæculi bona in holocaustum mactat, nihil omnino sibi reservans.

4) Conclusio ergo ex votorum consideratione legitima videtur, si comparantur Baptismi promissionibus : 1° in utrisque eadem adest ratio totam pœnam remittendi, scilicet status seu conditionis mutatio ; — et 2° duæ congruentiæ, quæ in Baptismi susceptione pro plenissima pœnarum condonatione militant, plenius adhuc in Religionis Professione comperiuntur.

5) Considerata igitur voluntas 1° in objecto quod intendit, 2° in modo, scilicet in votorum emissione, quo objectum prosequitur, tanti in Religionem Profitente invenitur meriti, ut, licet actus ille non multum pœnalitatis formaliter habeat, nihilominus plenissimam peccatorum quoad pœnæ reatum condonationem mereatur devote Religionem Profitens.

N. B. Tandem, ex Sectione II et Sectione III hujus Partis IV, facile intelliget lector quo jure Auctores nonnunquam, nunc de Religionis Statu totaque vita Religiosa, nunc de Religiosæ Professionis solo actu, quasi promiscue, de distinctione non curantes, agere videantur : Religiosæ enim Professionis solus actus, quippe *qui per Professionis voluntatem valde perfectam et efficacem Religionis Statum integrum intendit,* omne totius Religionis Status meritum suum etiam facere clare perhibetur.

APPENDIX.

Nonnullarum quaestionum solutio proponitur.

I. QUIDNAM de allegatis visionibus sentiendum? R. Ut visionum auctoritas declaretur, dicendum est de ipsarum authenticitate et de argumenti ex ipsis deducti valore.

A. Visionum authenticitas. Perfecta authenticitas non tantum requirit ut liber sit auctoris cui attribuitur; sed etiam, ut talis sit qualis ab auctore prodiit: hoc est ut nihil interpolatus aut imminutus, sed integer et incorruptus existat. (Ita R. P. Schouppe Dogm. T. I, Tract. II de Religione Christiana, nº 207).

1. Visio cujusdam Magni, in Vitis Patrum, L. VI, libello 1, n. 9. Magna auctoritate gaudet, et ex auctoritate operis de Vitis Patrum e quo eruitur, et ex numero Doctorum qui illam proferunt. Decem hic adsunt: Thomas Waldensis. D. Thomas Aq. in Summa et in 4 Sent., Gerardus Rondelli, S. Antoninus, H. Platus. H. Rosweydus, Suarez, Sylvius, Hæftenus, S. Alphonsus.

2. Visio S. Antonii, in ejus vita a S. Athanasio Magno coævo et socio conscripta, et in Vitis Patrum relata. Nihil ergo mirum si a gravissimis etiam proferatur auctoribus, ut hic adsunt Cajetanus, H. Platus, Bellarminus (bis), Rosweydus, Suarez, Sanchez, Sylvius et Hæftenus.

3. Visio S. Symeonis Sali descripta a Leontio, Neapoleos Cyprorum Episcopo; cui omnem S. Symeonis vitam exposuit Joannes Emesenorum Ecclesiæ diaconus, vir admirabilis et virtute conspicuus, vitæ S. Symeonis testis in urbe Emesa, visionem hanc ex S. Symeonis ore excipiens; — relata apud Metaphrasten, Surium et Bollandianos. Jure merito ergo profertur ab auctoribus, ut hic adsunt H.

Platus, Lessius, H. Rosweydus, Sanchez, Layman et Hæftenus.

4. Visio S. Anselmi, in libro de Similitudinibus, a S. Anselmi discipulo Eadmero, Monacho coævo et S. Doctoris familiaris, de ipsius ore excepta scriptisque mandata. Insuper illa proferunt, S. Antoninus, H. Platus, Lessius, Rosweydus, Layman, Sylvius, Hæftenus et Holzmann.

5. Visio Henrici conversi de Claustro (Hemmenrode), in Dialogo Miraculorum Dist. 1, c. III a Cæsario Heisterbacensi Monacho relata;

Visio Conversi de Leucka, Dist. 8, c. 18; apud eumdem;
Visio Oberti conversi, Dist. 11, c. 6; „ „
Visio Gosberti conversi, Dist. 11, c. 12; „ „

Harum prima, Henrici conversi de Claustro, visioni Cujusdam Magni in Vitis Patrum legenti simillima apparet. A nemine tamen prolata invenitur, forsan quia non apud omnes pari favore recipitur scriptor. Cæsarius inter coævos magni nominis fuisse constat 1° quia tunc temporis, quo Cisterciensium Ordo et numero alumnorum et Monasticæ vitæ fervore miro modo florebat, ad Novitiorum Magistri munus provectus est, et, ejus ad exteros fama erumpente, a Carolo Villariensi (in Brabantia) Abbate octavo, ut ibidem Prioratum administraret, expetitus est; 2° resignante autem Carolo Abbatialem dignitatem, ad Professionis locum reversus, ibi etiam Prior constitutus est; 3° S. Engelberto Coloniensi Archiepiscopo immaniter trucidato, a Henrico Martyris successore, jussus est vitam, actus, passionem et miracula beatæ memoriæ Engelberti scripto commendare, licet in Coloniensi Archidiœcesi virorum litteratorum copia tunc esse dignosceretur (Cfr. Surium T. VI, p. 148, 7 Novembris, Vita Sanctæ memoriæ Engelberti, Præfatio authoris); 4° post obitum, ejus sepulcrum ita in honore fuit, ut a Chrysostomo Henriquez in Menologio beatus nuncupetur, a Claudio Chalemoto vir piæ memoriæ prædicetur, et a Bollandianis veneretur

etiam ut piæ memoriæ (Boll., Sept. Tom. VII, die 25, Prætermissi... Cæsarius Heisterbacensis). Habet amicus lector, notitiam Cæsarii Monachi Heisterbacensis ex certissimis factis conflatam. Audiat nunc tantum virum in Dialogi Prologo affirmantem: „Testis est mihi Dominus, nec unum quidem capitulum in hoc Dialogo me finxisse. Quod si aliqua forte aliter sunt gesta quam a me scripta, magis his videtur imputandum esse, a quibus mihi sunt relata." Adeat librum et videat quanta cura, rem gestam, a quo, quo loco, quoque tempore sit gesta; a quibus demum illam acceperit, recenseat; idque simpliciter absque omni verborum fuco, nullis non solum hyperbolis, sed nec amplificationibus, nuda scilicet apertaque oratione veritatis amica utens. (Cfr. Jacobum Fischerum in Editione anni 1591). Jure merito ergo Joannes Bona Cardinalis in notitia auctorum quos in opere divinæ Psalmodiæ citaverat, scribit: „Cæsarius Heisterbacensis, Ordinis Cisterciensis, in Historiis memorabilibus, pius, verax, et simplex." (Cfr. insuper Jos. Strange, in Editione anni 1851; Goschler, Dictionnaire encyclop. de la Théologie Catholique etc., in quibus apparet adhuc sæculo XIX a doctis Dialogum Cæsarii valde approbari, quatenus ut historicum documentum consideratur).

6. Annales Minorum, de Christophoro religioso et Angeli responso. Visionem illam, priusquam in lucem edita fuerit a R. P. Francisco Luca Waddingo, jam H. Platus et H. Rosweydus ex Franciscanorum Annalibus descripserunt, ut in prima Parte ad annum 1272; et in secunda Parte, ubi H. Plati, in tertia Parte, ubi H. Rosweydi testimonia exscribuntur.

7. Mechtildianæ et Gertrudianæ Revelationes maximæ esse auctoritatis noscuntur.

S. Gertrudis in Martyrologio Romano, die 17 Novembris laudatur: „In Germania, S. Gertrudis Virginis Ordinis S. Benedicti, quæ dono Revelationum clara exstitit"; et in

Breviario Romano, die 15 Novembris, lect. 6 : „ Multa ad confovendam pietatem scripsit. Divinarum etiam Revelationum, et Prophetiæ dono claruit."

S. Mechtildis nomen in Romano Martyrologio non occurrit ; ejus tamen cultus, in pluribus calendariis inscriptus, ab Apostolica Auctoritate approbatus est et confirmatus. Huic festo quidem dies 26 Februarii indictus est. — In *Legato divinæ pietatis*, celebratur ut „ felicis memoriæ, in gratia Revelationum tunc nominatissima et reverendissima" (l. 1, c. 16). Imo etiam validissimis rationibus S. Gertrudis vel scripsisse, vel saltem dictasse *Librum specialis gratiæ* æstimatur, cujus revelationes ex intima suæ institutricis communicatione noverat.

Quæ ex hisce Revelationibus hic in medio ponuntur, ex præclarissima Editione Solesmensium O. S. B. Monachorum cura et opera data Pictavii 1875 et 1877 eruuntur, quam Pius PP. IX litteris 16 Oct. 1875 laudavit.

B. Visionum aptitudo ad argumentum constituendum.

1. Visio cujusdam Magni (ex Vitis Patrum) sic aptari potest : cum Baptismate comparatur Religionis Professio, sed non per similitudinem æqualitatis, alioquin tribuendum esset Professioni, quod faceret etiam ex attrito contritum ; sed per quamdam proportionem, ad quam sufficit effectus plenariæ remissionis per condignam satisfactionem ex opere operantis (Cfr. Suarez loco cit. n. 7, p. 128). Prior enim interpretatio jaceret sub nota temeritatis (Cfr. Suarez ibid, n. 5, p. 125). Unde ex tali comparatione rite concluditur : Religionis Professio tale tamque excellens opus est, ut quamvis modo ordinario ex bono affectu charitatis, etiam sine extraordinario fervore fiat, ad satisfaciendum pro omnibus peccatis regulariter sufficiat (Cfr. Suarez, ibid. n. 6, p. 127).

2. Visio S. Antonii sic interpretari potest : S. Antonius, tempore mortis, audivit Angelos dicentes omnia peccata sibi fuisse remissa, quando Monasticam vitam professus

est: si quoad culpam, per dispositionem proportionatam, puta Pœnitentiæ Sacramentum si mortale quid habuisset; si quoad pœnam, per condignam satisfactionem ex opere operantis in ipsa Religionis Professione. Et sane in S. Antonio, qui nonnisi leviora peccata vitæ superioris habuit, et maximo cum fervore conversus est, vel in nemine Religionis Professio hunc effectum producere debuit (Cfr. Suarez, ibid. n. 7, p. 128).

3. Visio S. Symeonis Sali. Jucundum in primis et notabile hoc in genere quod Leontius Cyprius Episcopus antiquus auctor narrat in Vita Symeonis Abbatis (H. Platus, p. 112; et Hæftenus, p. 142). Etenim in hac narratione *a)* a Patribus Habitus susceptio (seu Religionis Professio quæ tunc idem erat) cum Baptismate comparatur, et a divo Nicone comprobatur. „Recte dixerunt, filii; cras enim Sancto et Angelico Habitu, si Deo visum fuerit, induere vos volumus," quibus verbis clare intelligitur Professionem ideo Baptismati comparari quia Angelicam Sanctitatem consequi meretur, deleta omni pœna luenda. — *b)* Ritus septem dierum, quo Sancti Habitus susceptio cum Baptismate etiam comparatur, ita exponitur: „Vir iste Magnus juniori cuidam Sanctum dederat Habitum, et tunc temporis necdum expleverat septem dies, sed ferebat adhuc omnia quæ constitutio exigebat." — *c)* Eamdem innocentiam Baptismalem in visione hujus juvenis, jam gloria celesti quasi coronati et circumdati, intelligunt. — *d)* Eamdem adhuc ambo, Symeon et Joannes, in semetipsis, post Sancti Habitus assumptionem, contemplantur. — *e)* Vident juvenem hac innocentia spoliatum post septimum diem et tunc Symeon medium non amittendi suggerit Joanni dicens: „Si me audis, ut res sæculares quas reliquimus, et valere jussimus, perfecte toto animi nisu valere jubeamus. Aliam namque vitam et res novas contemplor in hoc Habitu." Ex hac S. Symeonis doctrina apparet etiam quanti sit momenti quotidiana Religiosæ Professionis renovatio

qua valere jubeamus res sæculares jam in ipsa Professione dimissas. — Hæc autem omnia explicanda sunt juxta Suarezii doctrinam supra numeris 1. et 2 relatam.

4. Visio S. Anselmi etiam testatur Osbernum Monachum omnium pœnarum plenariam in Religionis Professione condonationem obtinuisse; ergo et in Osberno Monacho Religionis Professio fuit satisfactio sufficiens.

5. Visio Henrici conversi de Claustro (Hemmenrode), Magistri in grangia quæ vocatur Hart, idem probat ac illa quæ supra nº 1 ex Vitis Patrum refertur. Ut vero fidem debitam intelligat lector, videat Dist. I, c. 1: „Domus Claustrensis fundata est anno millesimo centesimo tricesimo quarto; deinde anno millesimo centesimo octogesimo octavo, sexto decimo Kalendas Aprilis, conventus noster exivit de Claustro." Inde judicandum est de vi affirmationis in initio positæ „*Noverunt multi* Henricum..." quam fingere impossibile fuisset. Deinde hujus visionis testis gravitatem perpendat, qui in grangia, quæ vocatur Hart, Magister erat; unde inter conversos unus e præcipuis exstitit. — Tandem pro illis qui visionem nihilominus ut fictam respuerent, saltem Henrici relatio comparationem Baptisma inter et Religionis Professionem communiter receptam esse demonstraret.

Aliæ tres ex Cæsario relatæ visiones vim satisfactoriam Religiosæ Professionis non rigorose demonstrant, sed potius illa admissa planius ipsæ intelliguntur.

6. Annales Minorum, de Christophoro etc. Visionem hanc non afferre demonstrationem omnino evidentem patet, tum ex visionis lectione, in qua jubetur Christophorus a modo non timere de præteritis, quin dicatur præcise ea in ipso actu Religiosæ Professionis condonata fuisse; tum ex silentio theologorum fere omnium, licet visio ipsa a nemine rejiciatur; tum ex ipso eam proferendi modo H. Rosweydi, dictam visionem ultimo loco allegantis: „Vide et Annales Franciscanorum de Christophoro, et Angeli

responsione." quo modo se illam præcedentibus minoris facere indubie testatur.

7. Ex Mechtildianis Revelationibus, P. IV, c. 17 et 18 (supra p. 54 et 55) valor satisfactorius Religiosæ Professionis mire illustratur, ut omni attente legenti facillime patebit. Valere autem argumentum, licet hucusque non fuerit invocatum, nemo negabit qui S. Mechtildis sanctitatem et Revelationes noverit. Insuper ex Mechtildianis et Gertrudianis Revelationibus (supra p. 56, 57 et 58) argumentum de eadem vi satisfactoria renovationis eruitur, ut infra dicetur.

Pro conclusione animadvertendum est sex ab omnibus admitti visiones: 1am, 2am, 3tiam, 4am, 6am, et 7am; 5am tantum ab aliquibus (quatuor) parvi vel etiam nihili fieri, ab aliis (duodecim reperti sunt) vero maxime æstimari. Inter illas autem quæ ab omnibus admittuntur primam a Thoma Waldensi, secundam a Bellarmino heterodoxis etiam oppositam fuisse.

II. Quænam vota requiruntur et sufficiunt?

A. R. 1° Tria vota, obedientiæ, paupertatis et castitatis, quibus omne bonum humanum, externum, corporis, et animæ, Deo dicatur. Sunt enim de essentia Religionis: Decret. Greg., l. III, Tit. 36, c. 6: „ Cum ad Monasterium... quia abdicatio proprietatis, sicut et custodia castitatis adeo est annexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere"; Et Extrav. Joan. XXII, Tit. 6, De voto et voti redemptione... „ Nisi aliquam de Religionibus approbatis (quorum Professio ad castitatis custodiam, et abdicationem temporalium, et sui Superioris obedientiam suos professores astringat) ipsum canonice contingerit ingredi..."

2° Vota hæc tria in Religione a Christi Ecclesia approbata, ut Deo grata sint et accepta, emittantur. Sæculo decimo tertio prohibitum fuit inducere novam Religionem quæ S. Sedis approbationem non obtinuerit. Sed hisce temporibus

consuetudo legitime præscripta huic prohibitioni derogavit: vi potestatis suæ ordinariæ Episcopi possunt approbare et constituere novam Religionem (Cfr. R. D. J. Daris, Prælectiones canonicæ, Tomo IV, de Statu Religioso, II. n. 8, 9, 10. — Item Postulata Episcoporum Belgii et Galliæ, in collectione omnium Concilii Vaticani documentorum per Conradum Martin, Ep. Paderbonensem, 1873). Unde S. Sedis, approbatio ad quosdam canonicos effectus tantum requiritur. Vis autem satisfactoria Religionis Professioni tribuitur ex propria operis excellentia, minime ex privilegio Divino aut Ecclesiastico; et ideo Episcopi approbatio hodie sufficit.

3° Vota hæc tria, in Religione saltem ad Episcopo approbata, sint perpetua, quia his tantum Deo homo omne quod potest offert; et status mutatio perficitur simpliciter in solis votis perpetuis.

B. His positis patet responsio ad secundam quæstionis partem, scilicet quænam vota sufficiunt? Etenim:

1° Simplicia vota sufficiunt: quia solemnitas non est nisi institutionis Ecclesiasticæ ad speciales effectus a Jure Ecclesiastico statutos. Liber sextus Decretalium Bonifacii VIII, lib. 3, Tit. 15, De voto et voti redemptione, c. unico. „Quod votum debeat dici solemne... Nos igitur attendentes, quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa... Præsentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum dici debere solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit, per susceptionem sacri ordinis, Aut per Professionem expressam vel tacitam factam alicui, de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis..."

Valor autem Satisfactorius Religiosæ Professionis ab opere operantis, minime vero a jure vel Divino vel humano fluere manifeste apparet.

2° In Religionibus votorum solemnium.

a) Vota simplicia, quæ fiunt post annum Novitiatus,

perpetua sunt ex parte voventis, utpote quæ tendunt ad emittenda deinde vota solemnia ; ergo sufficiunt ad plenariam pœnarum condonationem merendam.

b) Per vota vero solemnia, quæ post triennium emittuntur, simplicia perfectionem et complementum accipiunt, quia ex parte Ordinis acceptatio, conditionalis tantum in simplicibus, fit absoluta in solemnibus. Unde tanquam novus et perfectissimus traditionis modus considerantur vota solemnia hæc, quod sufficere testatur etiam Sanchez, loco citato n. 7 et alii, ad plenariam condonationem denuo consequendam. (De natura horum votorum simplicium et solemnium Cfr. Decreta S. Cong. super Statu Regularium, 17 Jul. 1858, n. 1.; et 25 Febr. 1859, n. 1).

3° Ratificatio votorum nullorum ut docent Salmanticenses et alii.

4° Vota in Religione strictiori, a Professo in laxiori, emissa ; aut etiam in laxiori a Professo, in perpetuum e strictiori expulso, emissa ; quia omnino nova Professio, nova est traditio, ut docet Sanchez loco citato n. 5, p. 134.

5° Vota simplicia vel solemnia renovata, cum intentione omnem divitiarum, voluptatum et propriæ voluntatis affectum dimittendi prout loquitur S. Alphonsus, et hoc toties quoties, sive publice sive privatim.

Primus hujus sententiæ patronus citatur S. Bernardinus Senensis, qui ideo ut ipsius pater æstimandus videtur. Quum autem doctrina hæc permagni sit momenti, argumenta hucusque hic sparsa colligere juvabit.

A. Argumenta extrinseca, visiones et Doctorum auctoritas.

1. Uti Religiosæ Professionis valor satisfactorius visionibus comprobatur, ita etiam et hujus renovationis valor satisfactorius visionibus nititur. Sic in *Libro specialis gratiæ* S. Mechtildis, P. II, c. 18 (supra p. 56), cum Sancta virgo Domino conquæsta esset „ quod diem desponsationis

suæ tam devote non celebrasset, nec tanta fidelitate Sibi adhæsisset ut sponsam Sponso unico decuisset" (quo se spiritu in desponsationis suæ fervore renovare intendebat): tunc induit eam Dominus veste Virtutum suarum perfectissimarum, et miranti animæ dixit: „ Quia inter Me et te *nulla est omnino obscuritas* et *omnium Mysteriorum meorum te nihil celabo.*" Hæc, et etiam quæ sequuntur, impossibilia sunt cum *obscuritate* et *dilatione* pœnæ prius luendæ. — Ibidem, P. III, c. 29 (supra p. 57), Sanctæ huic virgini dicenti: " Eia, dulcissime mi Sponse, quam infidelis sponsa Tibi omnibus diebus exstiti; quia sponsalem amorem Tibi, vero Sponso meo, prout debui nunquam exhibui" Dominus statim apparet, Se nuptias renovaturum protestatur, „ dulcissimoque amplexu et tota Virtute sua divina *sic animam illam Sibi intrahit, ut unus cum Eo spiritus effici videatur.*" Quæ unio consummari minime valet quamdiu pœna luenda remanet. — Tandem P. IV, c. 15 (infra hic in App., q. III, B, 4°), dolenti quod Deo in sponsam consecrata, prærogativam illam peccatis suis maculaverit: dixit Dominus: „ *Si tuam vis renovare desponsationem,... ejusque gemmam in aqua et sanguine Cordis mei lava,* ut inde *valorem suum recipiat et decorem.*" Quod etiam certo de immunitate a pœna luenda est intelligendum: ipsa enim desponsatio valet ad plenissimam pœnæ condonationem; ergo suum valorem et decorem non plene reciperet, nisi etiam plenissimam istam condonationem recipiat.

Idem testatur in *Legato divinæ pietatis* S. Gertrudis, L. IV, c. 27 (supra p. 57), ubi denuo „ præbenti Amatori suo totam substantiam corporis et animæ, ad ministrandum Ei quoad vixerit " (quod est vera renovatio) dicit Dominus: „ Quoties tu Mihi hanc intentionem renovaveris, toties idem sceptrum amœnissimis floribus in Manu mea efflorebit, ac gemmis exornabitur pretiosis." Sed in Manu Domini non efflorebit nec gemmis exornabitur pretiosis quod adhuc

macularur sordibus poenae luendae: haec enim incompossibilia sunt. Verba etiam „ Quoties tu Mihi hanc intentionem renovaveris " studiose notanda sunt: non una alterave vice, sed *quoties*: — non tantum communitas publice renovans, sed *tu Mihi*, etiam sola, et, prout hic Mecum agis, in secreto actus privati. — Ibidem, c. 29 (supra p. 58), ubi desideranti a Domino ut „ renovare dignaretur in anima ejus Matrimonium spirituale quo Ipsi in spiritu esset desponsata per Fidem et Religionem," Dominus blanda serenitate respondit: „ Hoc indubitanter faciam." Et reapse tali modo perfecit ut in ipsa „ reformaverit quidquid neglexerat in exercitiis spiritualibus quibus potuisset insudasse." Quae expositionem non requirunt. — Ita se proprias Revelationes interpretasse ostendit in Exercitiis frequentissimis et ferventissimis de quibus nonnulla infra dicentur, q. III, B, 1, et in fine.

2. Argumenta extrinseca, seu Doctorum auctoritas. Inter supra relata documenta pro affirmativa stant: S. Bernardinus Sen., Dionysius Carthusianus, Em. Sa, Layman, Tamburinus Ascanius, Hæftenus, Salmanticenses, Lacroix, Holzmann, Reiffenstuel, Ferraris, S. Alphonsus, D. Wolter Maurus, quibus si apud ipsos citati adduntur, nempe Pallavacinus, Villalobos, Peyrinus, Pellizarius, Antonius a Sancto Spiritu, Garcias Nicolaus, Kerckove et Mezzer, viginti et unus numero reperiuntur. Pro negativa autem stant ibidem Sanchez et Lezana, quibus si adduntur citati, Becchius et Tabiena, quatuor numero reperiuntur. Jure merito ergo Salmanticenses, jam sæculo 17° ad præsentem quæstionem respondentes, sic distinguebant: „ *aliqui* dicunt non ob id de novo lucrari talem condonationem... *Alii* benignius id assequi concedunt, si tali affectu renovat Religiosus suam Professionem, quod de novo tunc illam emitteret, si nondum eam emissiset." (Vide supra, p. 146).

Inter negativæ sententiæ patronos Sanchez, sive propria auctoritate, sive rationum momento, præcipuus apparet.

Etenim Tabienæ doctrinam secutus, Sanchez pro sua peritia illam tuere nititur; Lezana vero nonnisi Tabienæ et Sanchezii auctoritatem proponit. Unde nunc quid de Sanchezii auctoritate tenendum sit, sufficiet inquirere. Huic quæstioni responderi potest: *a)* Videtur non habuisse ad manum scripta S. Bernardini Senensis, nec DionysiiCarthusiani; alioquin nunquam tacita nomina desiderans scripsisset loco citato n. 5: „Quamvis aliqui quos tacito nomine refert nec improbat Em. Sa, Summa, v. Religio n. 17, dicant obtineri, quoties Professio renovatur." Ergo nec eorum rationes perpendere potuit, nam Em. Sa meram aliquorum sententiam, absque ullo argumento protulit. Unde Sanchezii ad S. Bernardini et Dionysii doctrinam oppositio nonnisi negativa perhibetur. — *b)* Layman Sanchezii argumenta ita diluit ut, uno excepto Lezana, omnes deinceps affirmativam sententiam sint amplexi. — *c)* S. Alphonsus, qui de sententia sibi magis probata prius modestiori timiditate scripserat: „Or la même faveur *semble* accordée à la Religieuse qui renouvelle ses vœux avec un véritable esprit de dépouillement;" in ultimis suæ vitæ annis eamdem suam sententiam Doctorum auctoritate fulcitam aperte proclamat: „Les Docteurs enseignent qu'en renouvelant ses vœux de Religion, on gagne une Indulgence plénière comme la première fois qu'on les fait." (Cfr. documenta 3ª Parte circa fin.)

Attentis ergo numero et pondere DD. qui affirmativam propugnant, ut et paucitate DD. qui negativam pro suis viribus suadere non prævalent, concludendum est argumentum ex DD. auctoritate deductum pro affirmativa indubie stare, prout ipse S. Alphonsus testatus est.

B. Argumenta intrinseca, seu rationes quæ ex ipsius renovationis natura fluere intelliguntur. — *a)* Recolantur S. Bernardini et Dionysii argumenta quibus affirmativam sententiam validissime stabiliunt (Confer. supra p. 97 et p. 101).

b) Recolatur et Layman (p. 137 supra, n. 3) primo considerans hujus renovationis *substantiam*, quam eamdem ac in Religionis Professione adesse indicat, *perfectam scilicet hominis traditionem erga Deum*, ob quam traditionem peccatorum plenissima remissio concedi comprobatur ; — secundo Sanchezii vero oppositionem perpendens, quam duplici ratione debiliorem esse convincit, nempe — tum quia accidentaria tantum, non vero substantiam, renovationis attingat, — tum quia etiam illa ipsa accidentaria pro renovatione magis quam pro Professione nonnunquam stare possint. Prior ratio jam ex dictis lectori satis patet, posterior vero facili labore in luce ponetur. Etenim misericordissima Dei Providentia, Quæ Sibi votis dicatum in virtutibus et sic in meritis in dies magis magisque crescere speciali dispositione assidue procurat, sæpe sæpius contingit in fervidæ Religiosæ conversationis processu, gratiæ sensibilis adjumentum imminui ac etiam penitus subtrahi, quum e contra Religionis Status difficultates quotidiana experientia, vel intelligentia evidentiores appareant, vel numero plures urgeant, vel molestia graviores naturam excruciant. Sed nihilominus impiger Religiosus, in fide quæ per charitatem operatur jugi virtutum exercitio roboratus, inenarrabili purioris fortiorisque dilectionis dulcedine viam mandatorum Dei currit, et voluntatis majori laude dignæ alacritate susceptum Dominicum servitium obire satagit. Unde etiam tunc in dicta votorum renovatione continget sæpius illum et majorem difficultatem et intensiori voluntate superare quam olim in ipsa Religionis Professione.

c) Addatur tandem dicta in Sectione Tertia partis ultimæ de Religiosæ Professionis vi satisfactoria, jure pleno pleraque convenire etiam Professionis renovationi. Licet enim *materiale opus, perfecta nempe hominis traditio erga Deum*, una vice positum maneat in æternum, *nec*, defectu alterius subjecti a jam Professo tradendi, *secunda vice*

ulterius ullo modo poni possit; — nihilominus *voluntatis consensus,* in *quo unice omne voventis meritum,* non vero in materialis operis ponendi facultate (1), *constituitur,* toties quoties libuerit renovari poterit, prout omnibus patet. Unde sequitur: toties Professionis meritum multiplicabitur, ergo et ejus plenaria pœnarum condonatio de qua hic agitur.

Dictum est sive publice sive privatim, quia, ad effectum quidem ex ipsius operis excellentia oriturum producendum, nihil aliud nisi operis positio requiritur.

III. Quid sit vota renovare, quanti momenti sit hæc renovatio?

A. Vota sua renovare, non est obligatione nova se astringere, sed ejus qua obstricti sunt in Domino recordari et eamdem confirmare (Const. Soc. Jes. parte 5, c. 4, § 5). — Hæc siquidem libertas, quod mirabilius est, non solum datur in hora, qua ipsum votum emittitur: sed etiam in omni tempore, quo sibi vovisse placet, et in quo cum hac complacentia votum implet (S. Bernardinus Sen. Cfr. supra in Documentis parte 2). — Quotiescumque Religiosus suæ recordatur Professionis, et hanc esse factam gaudet, adeo ut si illam non fecisset, adhuc Dei amore motus faceret, hoc est mundo cunctisque vitiis ejus abrenuntiare ut Ei, Qui Se propter hominem exinanivit formam servi accipiens, Quique venit non ministrari sed ministrare, sese in hostiam ac servitutem perpetuam offerre paratus esset... (Dionysius Carth. Cfr. supra in Documentis Parte 2). — Est denique removere obstacula perfectionis, quo deinceps liberius ambuletur coram Domino in via sanctitatis.

B. Quanti sit momenti vota sæpius renovare, multipliciter probatur:

I. Sanctorum auctoritate: *a)* S. Athanasius de S. Antonio scribit: Ipse vero nequaquam recordabatur præ-

(1) Conferatur supra P. IV, Sect. III, p. 208 et seq., ubi id Scriptura Sacra, SS. Patrum auctoritate, et ratione theologica demonstratur.

teriti temporis; sed, ac si quotidie exercitationis initium fecisset, majori ad profectum labore contendebat, Apostoli dictum illud frequenter sibi pronuntians: Quæ retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ ante sunt extendens meipsum (Philip. 3, 14): memor quoque illius Heliæ prophetæ dicti: Vivit Dominus ante Cujus conspectum hodie sto (3 Reg. 18, 15). Observabat quippe illum cum dixit, hodie, præteritum tempus non mensum esse: *sed quotidie, quasi tum primum incœpisset, curasse, ut sese talem exhiberet*, qualem ad conspectum accedere Dei par esset, *purum scilicet corde*, et *ad obsequendum Ejus Voluntati*, et *nulli alii, paratum*. — Et ipse Antonius monet suos discipulos: Illud in primis sit commune omnium studium, ut a cœpto ne recedamus, neve propter laborem animo concidamus: nec dicamus: Jamdiu asceticam agimus vitam: *imo potius, ac si quotidie inciperemus, alacritatem augeamus*... — *b)* S. Hieronymus ad Sabinum Diaconum, Epist. 48: „Post Apostoli Petri basilicam, in qua Christi flammeo consecrata est (virgo): *post Crucis et Resurrectionis et Ascensionis Dominicæ sacramenta, in quibus rursus se in Monasterio victuram spoponderat*, audes..." Quæ verba exponens Marianus Victorius Reatinus, Sacræ Theologiæ professor, scribit scholia 14: „Roma in Ecclesia Apostolorum principis Petri, hanc virginem, Christi flammeo, veloque primum sacratam, asserit: accessisse deinde eam in Bethlehem cum Paula, et Eustochio (Paulæ filia), verisimile est. Subdit deinde Hieronymus, *virginis professionem ter ab ea, in die scilicet Crucis, Resurrectionis et Ascensionis factam, ac ratam fuisse*." — Non obscure ergo agitur de votorum renovatione. — *c)* S. Bernardus, Sermone 1 in Dedicatione Ecclesiæ: Festivitas hodierna... nostra est, quia de Ecclesia nostra: magis autem nostra quia de nobis ipsis... Vestra est igitur, fratres carissimi, vestra est hodierna festivitas. *Vos dedicati estis Domino*, vos elegit et assumpsit in proprios... Videte ergo, si non dignum sit ut festum agamus

diem quo nos assumpsit in proprios, et investivit Se per ministeriales et vicarios suos: *ut fiat sicut Ipse jam olim promiserat: Ego, inquiens, in medio eorum ero eorum Deus: nos autem populus Ejus et oves pascuæ Ejus.* — Quod autem suis occasione data suadebat S. Bernardus, hoc et ipse ab initio conversionis suæ quotidie, imo indesinenter actitabat, prout legitur in ejus vita, lib. 1, c. IV, n. 19: „Ingressus est autem domum illam pauperem spiritu, et eo adhuc tempore absconditam ac pene nullam, intentione ibi moriendi a cordibus et memoria hominum, et spe delitescendi et latendi tanquam vas perditum: Deo aliter disponente, et eum Sibi in vas electionis præparante, non solum ad Ordinem Monasticum confortandum ac dilatandum, sed etiam ad Nomen suum portandum coram Regibus et Gentibus, et usque ad extremum terræ. Ipse vero nihil tale de se æstimans aut cogitans, *potius ad custodiam sui cordis*, et *propositi constantiam, hoc semper in corde, sæpe in ore habebat: Bernarde, Bernarde, ad quid venisti?* Et sicut de Domino legitur, quia cœpit Jesu facere et docere (Act. I): a prima die ingressus sui in cellam Novitiorum, ipse cœpit agere in semetipso, quod alios erat docturus." — *d)* S. Mechtildis, in Monasterio Helftensi Cantrix. Ipsam enim votorum instaurationem frequentasse constat in *Libro specialis gratiæ*, P. II, c. 18, et P. III, c. 29 (supra, p. 56 et 57), ubi paxim revelationibus comprobare visus est Dominus; et P. IV, c. 15 (infra, inter mox dandas orationes), ubi ipsam Dominus aptissimæ renovationis rationem edocere dignatus est. — *e)* S. Gertrudis Magna, Monasterii Helftensis Religiosa, in *Legato divinæ Pietatis*, L. IV, c. 27 et 29, ubi ad istud exercitium frequentandum divinitus provocata apparet sancta virgo (supra, p. 57 et 58). — Item in *Exercitiis spiritualibus septem*, quorum II, III et IV huic aptantur, prout titulis patet: II. *Conversio spiritualis.* In die anniversaria sumptionis sacri Habitus. „*Quoties, renovato bono proposito memoriam primæ conversionis*

tuæ, qua mundo abrenuntiasti, *celebrare, et cor tuum cum omnibus viribus suis ad Deum convertere volueris: utere hoc Exercitio, orans Deum, ut te Sibi in amoris omniumque virtutum ædificet Monasterium.*" Deinde sequuntur preces. — III. *Desponsatio et consecratio.* In die anniversaria sanctæ Professionis. „*Hoc modo celebrabis spirituale Matrimonium, connubium amoris, Desponsationem et Copulationem animæ tuæ castæ, cum Jesu Sponso Cœlesti, inseparabili dilectionis vinculo.*" Et sequuntur preces. — IV. *Innovatio Religiosæ Professionis.* Quando vult anima religiosa in se *ressuscitare gratiam suæ donationis.* „*Professionem seu Votum novi fervoris innovatione spiritualiter celebrabis, his ignitissimis desideriis et orationibus, te totam offerens Holocaustum et Hostiam Deo, in odorem suavitatis.*" Dein veniunt preces. — Secundi et quarti Exercitii meminit Hæftenus, Disq. Monast., L. IV, Tract. VIII, De Ritibus Professionis, Disq. V, Quam utilis Professionis renovatio, paulo post initium; quarti vero D. Wolter, Præcipua Ordinis Monastici elementa, in fine Proœmii. — *f)* S. Ignatius, in p. IV Constit., c. IV, § 5, ob tres potissimum causas *renovationem hanc fieri* ait: *ad devotionis augmentum, ad excitandam qua Deo obstricti sunt obligationis memoriam, ad majorem studentium in sua vocatione confirmationem.* — *g)* Celebre est exemplum S. Francisci-Xaverii, prout Horatius Tursellinus in ejus vita refert (Romæ edita, 1594). Primis enim votis emissis die Assumptioni sacro Beatæ Mariæ anno post Christum natum 1534, inter Ignatii de Loyola socios, in Æde cui Mons Martyrum nomen est Lutetiæ Parisæorum, hæc addit Tursellinus, l. I, c. III: Votorum nuncupationem novus sed pius eadem vota sæpius instaurandi mos excepit. Ut crebra veterum Votorum instauratio innovaret eorumdem memoriam, religionemque; non eo solum anno hæc fecere vota, sed eadem quamdiu Lutetiæ studiorum causa fuerunt, *quotannis* eodem die, loco, cæremonia, *pari cum alacritate fructuque renovarunt.* Cæterum Xaverius

hoc avidius id per semetipsum identidem usurpabat, quod *certius experiebatur frequenti Votorum renovatione mentis suæ sicut aquilæ juventutem renovari.* Atque hæc quidem tanta perfectæ virtutis cupido nihil interim studio eruditionis offecit. Sed incidit tempus cum Franciscus haud dubie ostenderet, sibi Christi militiam, cujus gratia rerum scientia quærebatur, discendi studio esse potiorem." Deinde Venetiis, cum iisdem sociis, emissis insuper paupertatis castitatisque perpetuæ votis apud Hieronymum Verallum Apostolicum legatum, subdit. l. I, c. VI: Nunquam alias ante Franciscus divinis gaudiis cumulatior conspectus est. Quippe admodum lætus (quod ex vultu notari poterat) superfundenti se Deo totum dicavit pectus, et veteris Instituti sui memor, Vota semel nuncupata *quotidie instauravit deinceps in omni vita.*" Tandem audiatur et ipse præcepta Joanni Bravio tradens (ibidem l. 4. c. 17): Ubi mane e lectulo surrexeris, hanc tenebis regulam, ut minimum per semihoram aliquid e Christi vita mediteris... Jam *tibi autor sum quotidie sub meditationem, Vota paupertatis, castitatis, obedientiæ renovandi, quo vix ullum est hominibus Deo sacratis tutius contra diaboli intestinique hostis impetus munimentum.* Quocirca *antiquissimum habebis quotidie salutaribus hisce armis munire pectus.* Pomeridianis autem horis, post curatum corpus, tantumdem fere temporis iteratio matutinæ meditationis absumet, *eamque pariter excipiet instauratio Votorum.*" — *h)* Sanctus Alphonsus Liguorius idem suadet suis Monialibus (supra, p. 164 et 165). — Etc...

2. Humanæ naturæ necessitate: *a)* contra quotidianos defectus. Semper, ait S. Leo (Serm. 6 de Quadrag.), necessaria est omnibus contra rubiginem mortalitatis quotidiana renovatio, et intra profectuum gradus nullus est qui non semper melior esse debeat. — *b)* ad profectum in virtutibus. Cogita, inquit S. Bernardus, Epist. 91, in scala Jacob Angelos omnes vel ascendere, vel descendere, neminem stare. Et tu

si non proficis, deficis, et ubi incipis nolle fieri melior, desinis esse bonus. Animus humanus, ait S. Gregorius, Moral., l. 22, c. 4, dum igne amoris excoquitur, semper in se servat claritatem pulchritudinis quotidiana innovatione fervoris. Nescit enim mens per torporem veterascere, quæ studet per desiderium semper inchoare. Hinc namque per Paulum dicitur: Renovamini spiritu mentis vestræ. Hinc Psalmista, qui ad perfectionis jam culmen pervenerat, quasi inchoans dicebat: Dixi, nunc cœpi: quia videlicet si lacescere ab inchoatis bonis nolumus, valde necesse est, ut inchoare nos quotidie credamus. — Hoc, inquit S. Antonius, sit primum cunctis in commune mandatum, nullum in arrepti propositi vigore lacescere, sed quasi incipientem augere semper debere quod cœperit (Ita testatur S. Athanasius in ejus vita).

3 Scripturarum Sacrarum adhortatione: *a)* contra defectus quotidianos. Septies enim cadet justus, et resurget: impii autem corruent in malum (Prov. 24, 16). In multis offendimus omnes (Jac. 3, 2). Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me; et ab alienis parce servo tuo (P. 18) Unde omnibus quotidie orandum: Dimitte nobis debita nostra (Matth. VI.). — *b)* ad profectum in virtutibus. Ibunt de virtute in virtutem (Ps. 83); Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem (Prov. 4); Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens (Cant. 6); Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri (Rom. 12, 2); Renovamini autem spiritu mentis vestræ (Ephes. 4, 23); Licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur: tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem (II Cor. IV, 16); etc.

4° Consuetudine quarumdam Religionum in quibus semel vel etiam bis per annum statutis diebus publica votorum fit renovatio, et etiam cum Indulgentiarum ab Ecclesia concessione. His et similibus rationibus concludendum est cum Hæfteno: Quanto potest pietate, mentis-

que fervore Vota renovet Religiosus, et seipsum in hostiam viventem Deo offerat: vel publico illo, qui Ordine viget ritu, vel hac, qua privatim in quotidiana innovatione uti licet, oratione.

ORATIO

AD RENOVANDAM PROFESSIONEM.

Gratias ago Tibi, Domine Jesu Christe, pro gratia illa singulari, qua me vilissimum peccatorem de hoc sæculo nequam eduxisti, et in hoc religiosissimo Ordine ad solemnem (vel simplicem) Professionem admisisti. Doleo ex toto corde quod gratiæ huic non satis responderim, et tanto beneficio fuerim ingratus. Detestor omnes negligentias in hoc statu commissas, et quod tam parum ad ejus perfectionem adspiraverim. Ignosce mihi, Deus veniæ largitor, et humanæ salutis amator, et da, ut vel nunc tandem tua gratia incipiam. Quod equidem ex animo cupio et propono. Quod si me votis necdum Tuæ Majestati obstrinxissem, nunc sane id facerem: ideoque quanta devotione possum, illa nunc renovo, et novo fervore Tibi promitto stabilitatem meam, conversionem morum meorum, et obedientiam secundum Regulam Sancti Benedicti Abbatis (1). Veruntamen quia ad hæc implenda me nimis tepidum et infirmum agnosco, rogo Te, misericordissime Jesu, ut Qui dedisti mihi vovendi voluntatem, tribuas etiam exequendi facultatem: meque ita dirigas, ut non mihi, sed Tibi soli vivam; omnesque Ordinis observantias et quidquid animæ perfectionem promovere possit, summo studio amplectar, ad gloriam Nominis Tui, Qui es Deus benedictus in sæcula. Amen.

(1) Unusquisque propriam sui Ordinis Profitendi formulam hic substituat.

Precationem hanc, quam quivis, si longior forte videatur, facile contrahet, in usum quotidianæ, aut saltem frequentioris renovationis, ex Hæfteno descriptam, ob egregrias dispositiones grato animo excipiet lector.

Huic Hæftoni orationi, et modus quem Dominus S. Mechtildem docuit, et variæ preces Gertrudianæ in ejus Exercitiis spiritualibus repertæ, et oratio S. Ignatii de Loyola in ejus Exercitiis spiritualibus descripta, in utilissimum suavissimumque pii lectoris alimentum subnectuntur.

S. Mechtildis, in Monasterio Helftensi Cantrix († 1298). Liber specialis gratiæ, P. IV, c. XV. Qualiter homo desponsationem renovet. — Dum vice quadam Deo in amaritudine animæ suæ omnes annos suos recogitaret, quam negligenter vixisset, et quam multa bona a Deo gratis accepta, etiam quod Deo in sponsam consecrata, prærogativam illam peccatis suis maculaverit, dixit ad eam Dominus: Si tibi daretur optio, quid magis eligeres, an ut omnia quæ tibi contuli bona, operibus et virtutibus per temetipsam obtineris, an ut tibi gratis omnia contulerim? Quæ respondit: Etiam, mi Domine, minimum donum a Te mihi concessum plus accepto, quam si omnium merita Sanctorum, etiam maximis virtutibus et laboribus, promereri possem. Cui Dominus: Ex hoc, inquit, in æternum sis benedicta. Et addit: *Si tuam vis renovare desponsationem, accede ad Pedes meos*, gratias agens pro veste innocentiæ quam tibi gratis contuli, quia nullo eam merito deservisti: orans ut mea perfectissima Innocentia quidquid in te vitiatum est emendetur. *Dehinc ad Manus meas gratias agas*, pro omnibus Operibus meis, quæ tibi promerui, et etiam pro tuis quæ in te sum operatus. Exinde *in camino divini Cordis mei annulum fidei et amoris tui*, velut aurum in fornace probatum, *reforma, ejusque gemmam in aqua et sanguine Cordis mei lava, ut inde valorem suum recipiat et decorem.*

S. Gertrudis Magna, Helftensis Monasterii Religiosa

(† 1302). Exercitia spiritualia. — Exercitia II, III et IV a folio 627 ad 658 protenduntur ; unde hic non possunt in extenso reddi, sed una alterave oratio dabitur. Quod si plures desideraverit lector, adeat optimam editionem : *Revelationes Gertrudianæ et Mechtildianæ apud H. Oudin, Pictavii 1875 et 1877.* In anniversariis diebus *susceptionis sacri Habitus,* et *sanctæ Professionis ;* ut et in *Innovatione Religiosæ Professionis,* S. Gertrudis suas egregias orationes ad cæremoniarum seriem adaptat et multiplicat.

Exercitium secundum. — Eia Jesu, cordis mei dilectissime, quum constet nullum spiritualem fructum posse coalescere nisi tui Spiritus perfundatur rore, nisi tui Amoris foveatur vigore : utinam igitur ita miserearis mei, ut inter Amoris tui Brachia me recipias, meque totam tuo Spiritu calefacias ! En corpus et animam meam : hæc Tibi trado, ut possideas.

Dilecte mi, dilecte mi, infunde mihi tuam Benedictionem. Aperi mihi, et introduc me in Suavitatis tuæ plenitudinem. Ex corde enim et ex animo desidero Te, oroque Te, ut Tu solus possideas me. Eia, ego tua, et Tu meus ; fac ut novo semper fervore spiritus in Amore tuo vivido crescam, tuaque Gratia, quomodo lilium convallium juxta fluenta aquarum, efflorem.

Exercitium tertium. — Christi suavissime invitantis voce audita, increpante excitanteque Amore, sic se offert anima : Ego sum orphana absque matre, et pauper sum ego. Præ Jesu consolationem nullam habeo. Ipse solus sitim animæ meæ potest satiare. Ipse est præelectus Amicus cordis mei et unicus. Ipse est Rex regum et Dominus dominantium. Si Ipse summus Imperator mihi miseræ, mihi vilissimæ, ostendere voluerit suam Clementiam : si Ipse mecum facere vult secundum suam Misericordiam, secundum suam infinitam Pietatem, hoc sola Bonitas sua prævalet, et hoc ex bona Voluntate sua pendet. Ego sum Ejus propria : corpus et animam meam habet in Manu sua. Ipse de me faciat quidquid suæ Pietati placuerit.

O quis mihi tribuat, ut efficiar secundum Cor ejus, ut in me habeat Desiderium suum juxta optimum suum Beneplacitum! hoc solum me lætificare posset et consolari.

Eia Jesu, unice dilecte cordis mei, dulcis Amator, dilecte, dilecte, dilecte supra omne quod unquam dilectum est, post Te, o vivens florida Dies vernalis, suspirat et languet amorosum desiderium cordis mei. O utinam mihi contingat, ut Tibi efficiar unita vicinius, quo tunc a Te vero Sole germinarent spiritualis profectus mei flores et fructus! Expectans expectavi Te.

Veni igitur ad me sicut turtur ad suam consortem. Vulnerasti penetralia cordis mei Specie tua, et Pulchritudine tua. Dilecte mi, dilecte mi, si Tibi unita non fuero, in æternum læta esse non potero. Eia tuum et meum Desiderium, Amice, Amice, Amice, adimple per effectum...

Eia Jesu, Sponse floride, sicut mors transponit animam a corpore, sic Amor tuus cor meum transponat in Te, ut glutino inseparabili adhæream in Te!

Exercitium quartum. — Peto Misericordiam tuam multam nimis, Pater omnipotens, misericors, clemens, pius, benignus et præstabilis super malitia, ut me aridum ramusculum (quæ tempus putationis meæ, quo complantasti me huic Religioni sanctissimæ, heu! heu! non observavi, sed totum tempus vitæ meæ in sterilitate multa transivi) per Tui Ipsius ingenitam Bonitatem, per amorem prædilectæ Matris tuæ gloriosissimæ Patronæ nostræ, Virginis Mariæ, et per intercessionem Beatissimi Benedicti, venerabilis Legislatoris nostri, visu tuæ Misericordiæ et Charitatis hodie digneris respicere : ut in Te tota convalescens reviream, et in Veritate sanctificata refloream : vera sanctæ Religionis cultrix, vera spiritualis vitæ observatrix fiam, Tibique Amatori meo totius virtutis et sanctitatis fructus feram, ut in tempore vindemiæ, hoc est, in obitus mei die, in omni Religionis perfectione, plene matura et consummata inveniar coram Te. Amen... *Hic dabis Domino*

chirographum tuæ Professionis, dicens: Jesu mi dulcissime, opto amoris regulam Tecum assumere, quo vitam meam in Te renovare valeam et transigere. Eia pone vitam meam sub Sancti Spiritus tui custodia, ut omni tempore ad mandata tua inveniar promptissima. Mores meos Tibi assimila: in Tui Amore et pace me consolida. Sensus meos conclude luce tuæ Charitatis, ut solus Tu doceas, ducas et instruas me in penetralibus Cordis. Absorbe spiritum meum tuo Spiritu tam valide, tamque profunde, ut vere tota sepeliar in Te, et in Tui unione deficiam a me, sepulturamque meam præter Amorem tuum nemo alius sciat. Hic Amor suo me claudat sigillo, et consignet Tibi nexu individuo. Amen... *Accedens ad Communionem, projice te totaliter in Deum, ut Ei soli vivas.* Quid sum ego, Deus meus, Vita animæ meæ? Heu! heu! quam longe a Te! Ecce ego quasi pulvis exiguus, quem projicit ventus a facie terræ. Eia, eia, in virtute Charitatis tuæ dignare africum omnipotentis Amoris tui tam valide producere, et in turbine Spiritus tui tanto impetu me in Te projicere, atque in sinu tuæ piæ Curæ me excipere: ut incipiam veraciter a memetipsa deficere, et in Te, o dulcis Amor meus, mente excedere. Ibi, ibi da mihi memetipsam in Te amittere, memetipsam in Te tam integraliter relinquere, ut nullum mihi de me in me remaneat vestigium, sicut pulveris granum ejectum nullum ibi ostendit suæ ejectionis detectum. Eia, eia, transfer me sic totaliter in tui Amoris affectum, ut in Te annihiletur omne meum imperfectum, et extra Te non habeam ultra spiritum: eia da mihi sic me perdere in Te, ut in æternum nusquam inveniam me nisi in Te. Amen.

S. Ignatius de Loyola. *Exercitia spiritualia,* Hebdomada quarta, contemplatio ad amorem spiritualem in nobis excitandum... "Suscipe, Domine, universam meam libertatem. Accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem omnem. Quidquid habeo vel possideo, mihi largitus es:

id Tibi totum restituo, ac tuæ prorsus Voluntati trado gubernandum. Amorem Tui solum cum Gratia tua mihi dones, et dives sum satis, nec aliud quidquam posco."

Quæ orandi formula ad votorum renovationem apte sumi valet. Sanctissimus vero Dominus Noster Leo Papa XIII, in audientia habita die 26ª Maji 1883, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui corde saltem contrito ac devote præfatam orationem recitaverint, Indulgentiam tercentum dierum, semel in die lucrandam, benigne concessit.

Quoad quotidianam hujus renovationis praxim notanda.

1. Uti hucusque visum est, Sancti et in spiritualibus docti viri, non tantum istius instaurationis frequentiam summopere commendant, sed opportuniora etiam momenta proponunt. Quam vero id apposite faciant nunc breviter examinandum, quo unusquisque et in seligendis dirigatur, et in selectis ad majorem fervorem provocetur.

2. S. Franciscus Xaverius matutinalis et pomeridianæ meditationis exitum proponit; — S. Alphonsus, meditationem, sacram Communionem, Sanctissimæ Eucharistiæ visitationes, surgendi et decumbendi articulum: — Vitæ spiritualis Documenta ad usum Patrum et Fratrum Societatis Jesu (Gandæ 1852), Quodlibet Sacrum audiendum aut celebrandum, sacram Communionem: pulsum mane, meridie et vespere datum ad B. Virginem salutandam: — Quidam tandem ad divinum Officium persolvendum præparationem.

3. Multiplicitas ista ad simplicissimam unitatem facile revocatur principio generali: Quoties Religiosus suam cum Incarnato Verbo unionem arctiori vinculo stringere allaborat, toties Votorum suorum, per quæ cum Ipso in æternum connectitur, instaurationem urgere illum maxime juvabit.

4. Hanc autem unionem arctiori vinculo stringere intendit Religiosus quisque, — qui mane surgens, bonum incipientis diei usum exoptat; — qui vespere decumbens,

errores et ignorantias reparare studet; – qui meditationem instituens, ad firmanda proposita devenit; – qui sacra Communione refectus, Christum in se viventem diu retinere gestit; – qui Sacrum audiens vel celebrans, ad sui perfectiorem immolationem properat; – qui Christum in Sanctissima Eucharistia visitans, dictam vitam et immolationem promovere satagit; – qui ter in die B. Virginem salutans, Verbi Incarnati cum humana natura unionem ferventi devotione recolit: – qui tandem ad Opus Dei tendens, corpus et animam, intellectum et voluntatem, se totum ut divinæ dignæque laudis instrumentum Christo Eucharistico devotissime mancipat: „Domine, in unione illius divinæ intentionis, qua Ipse in terris laudes Deo persolvisti, has Tibi Horas persolvo."

5. Denique notetur, exercitia prædicta inter et Votorum renovationem, tantam existere affinitatem, ut non solum opportunam Votorum instaurationi occasionem præbeant, sed etiam ex ipsorum renovatione fervoris ac fructuum mirum augmentum referant.

IV. Numquid solis Religionem Profitentibus plenaria competit condonatio?

R. Sane, ut notum est, sunt et aliæ viæ relaxandi has criminum pœnas, et præcipue Indulgentia Pontificum... (H. Platus, supra p. 110). Sunt ergo et aliæ viæ: sed præ cæteris omnibus eminet summe Religionis Professio. Etenim:

1. D. Thomas, 3, Dist. 19, q. 1, a. 3, q. 2 in sol., docet, et cum illo DD. communiter: „Quando quidem (nostra post Baptismum cum Christo patienti per pœnitentiam conformatio) est perfecta secundum proportionem ad reatum culpæ, tunc pœna totaliter tollitur, sive hoc sit in contritione tantum, sive etiam et in aliis partibus pœnitentiæ." Sed hoc raro, vel nunquam satis constare potest (Lugo, Pœnit., D. 25, n. 48, S. Alphonsus, l. VI, de Pœnit., Tract. 4, n. 507). Ut autem suum producat effectum, Religionis Pro-

fessio, modo non sit valde remissa, etc., ut a Suarezio clare exponitur, facillime sufficit.

2. Eamdem plenariam condonationem concedi homini, etiam sæculari, sese per amorem toto corde ad Deum convertenti, et suam voluntatem propriam funditus abnegatam divino beneplacito plenissime subjicienti... tenet Dionysius Carth. (supra p. 103, in fine). Ast licet facile dicere possit, nonnisi maxima Dei munificentia, summoque labore perfecte obtinebit. Tutius est ergo actum renuntiationis per vota perpetua ponere.

Hic notari debent verba S. Hieronymi, Ep. 25 de Blasilla: „Nunc vero, cum propitio Christo ante quatuor ferme menses quodammodo se Baptismo laverit, et ita deinceps vixerit, ut calcato mundo, semper Monasterium cogitaret, non vereris ne tibi Salvator dicat: Irasceris, Paula, quia filia tua facta est filia mea?" Quæ commentans Thomas Waldensis scribit: „Non ingressa est septa Monasterii, propositum tantum habebat. Et tamen secundo quodammodo proposito Baptismi se lavasse conceditur. Quid igitur ubi propositum effectum habet? non tunc diceretur quodammodo, sed secundo post Baptismum gradu se diluit... Sic ergo Blasilla se lavit hujus quasi Baptismatis solo proposito, et tamen lavisse dixit Hieronymus." — Item verba Emmanuelis Sa, Aphorismi Confessariorum, v. Religio, n. 17 Professio affert plenam peccatorum indulgentiam: itemque ingressus, secundum quosdam, animo perseverandi..." Solum Blasillæ in sæculo propositum, ingressus animo perseverandi, quia a voluntate perfecta et efficaci procedunt, pro facto reputantur juxta dicta supra in Sectione Tertia ultimæ partis. Hæc sententia, attenta auctorum gravitate simul et rationum pondere perpenso, non parum solatii ac stimuli affert iis qui statum perfectionis amplectere serio meditantur, præsertim quum perfectam et efficacem voluntatem roborare adhuc et nobilitare voto ingrediendi Religionem possint, necnon et renovare quoties libuerit.

3. Per pœnitentiæ opera in præsenti vita, in quibus ex Dei Misericordia et Christi meritis tantopere alleviatur debita satisfactio. Nihilominus, c. Admonere, suadetur ut melius et levius Religionem profiteri ; et D. Thomas 4, Dist. 16, in Expositione textus tenet: „ Qualibet enim pœnitentia taxata, levissima Religio est major satisfactio, in quantum homo abdicat propriam voluntatem, qua nihil est homini carius. "

4. Votivæ perigrinationes, Hierosolymam, Romam, Compostellam etiam satisfactionis viam aperiunt. Sed D. Thomas, 2ª 2æ q. ult. docet: „ Votum Religionis, cum sit perpetuum, est majus quam votum peregrinationis Terræ Sanctæ ut ex c. Scripturæ confirmatur. Si tamen non absolverentur per hoc ab omni reatu pœnæ, nihilominus ingressus Religionis utilior est quam peregrinatio Terræ Sanctæ, quantum ad promotionem in bonum, qua præponderat absolutioni a pœna." His similia docet H. Platus (Cfr. Doc., p. 115.)

5. Indulgentiæ tandem viam præcipuam plenariæ condonationi aperiunt. His nihilominus comparata potior invenitur Religionis Professio. Indulgentia, juxta Bellarminum (De Indulg., l. 1, c. 5), proprie est absolutio judiciaria, annexam habens solutionem ex Thesauro. Unde patet Indulgentiam lucrantem a personali solutione absolvi eodem judicio quo ex Thesauro solutio Deo offertur. Religionem autem Profitens, minime a solutione debita absolvitur, sed plenarie pro omni peccato satisfacit. Et ita docet D. Thomas 4, dist. 4, q. 3, a. 3, q. 3, ad 3 ; „ Sed hoc non est quia talis a satisfactione absolvitur, sed quia eo ipso quod suam voluntatem etiam in servitutem redigit propter Deum, plenarie jam pro omni peccato satisfecit, quam, scilicet voluntatem, cariorem habet omnibus rebus mundi, de quibus tantum posset dare quod eleemosynis omnia peccata redimeret, etiam quantum ad pœnam." Ex professo postea rem tractaverunt H. Platus, San-

chez. Layman. Tamburinus Asc., Hæftenus, Lezana, Salmanticenses. Holzmann. Reiffenstuel, quorum dicta in Documentis prolata sunt. Sufficiet ergo hic eorum doctrinam breviter proponere. A. Indulgentia plenaria et Religionis Professio conveniunt: *a)* in effectu qui est omnis pœnæ, pro peccatis quoad culpam remissis debitæ, plenissima relaxatio. — *b)* in modo effectum producendi, non ex opere operato ut Sacramenta, sed ex opera operantis. — *c)* in dispositionibus subjecti requisitis, scilicet status gratiæ et omnium peccatorum etiam venialium detestatio. B. Differunt autem: *a)* eo quod Religionem Profitens, ex vi et merito ipsius operis excellentissimi, quamcumque remissis peccatis debitam satisfactionem excedentis, plenissimam condonationem consequitur; — lucrans vero plenariam Indulgentiam, ex alieno bono solvit propria debita, ut jam supra ex Bellarmino dictum est. Magis autem justitiam diligit qui ex ære proprio quam qui ex ære alieno debita solvere paratus est, unde nobilior et majoris præmii digna est Religionis Professio. — *b)* eo quod, cum S. Pontifex non sit Thesauri dominus sed dispensator, qui fidelis esse debet, requiritur ad concessionis valorem justa causa, nempe finis aliquis pius cujus assecutio magis Deo placeat quam satisfactio pœnalis quæ per Indulgentiam relaxatur, et opus aliquod, quo revera finis ille probabiliter obtineri possit (Schouppe Dogm., T. 2, tract. 14, n. 300). Quæ cum hominum judicio metienda sint, facile fieri potest ut vel tota Indulgentia vel pars ejus corruat; et in injuncto opere exequendo multum ex negligentia delinqui potest. — Hisce periculis non exponitur plenissima condonatio quam Religionis Profitens consequitur, cum non sit ex concessione alicujus, sed ex ipsius operis dignitate; nec præter subjecti dispositiones, ad Indulgentiam pariter requisitas, opus aliud a Profitente requirat. Unde Religionis Professio non solum nobilior et majoris præmii digna, sed insuper certior et securior via ad plenissimam codonationem reperitur.

V. Numquid omnibus Religionem Profitentibus pœnæ omnes debitæ remittuntur? (Idem de vota renovantibus petendum et respondendum).

R. 1. Profitens debet esse subjectum capax talis condonationis, ut modo dictum est, videlicet habere cum statu gratiæ omnium peccatorum etiam venialium detestationem.

2. Profitens condonationis capax, vota emittere debet eo modo quo finem, plenam nempe relaxationem, consequi mereatur. Conferatur Suarezius (supra p. 126), n. 6, ubi D. Thomæ mentem exponens sic concludit: „ Ita mens ejus fuisse videtur tale esse, tamque excellens hoc opus, ut quamvis ordinario modo ex bono affectu charitatis, etiam sine extraordinario fervore fiat, ad satisfactionem pro omnibus peccatis regulariter sufficiat, nisi illa sint magna et multa, et pœnitentia de illis parva, modusque Profitendi valde remissus. Sed quia hæc omnia raro concurrunt, ideo moraliter dictus effectus Professioni attribui potest." Unde Doctor eximius in talium circonstantiarum concursu plenariam condonationem non competere concedit. Ratio est quia Religionis Professio hunc effectum ex opere operantis producit, unde non sufficit opus illud modo quocumque ponere. Recte ergo idem Suarezius n. 8° addit: Præterea non videtur amplius necessarium ad favorem Religiosæ Professionis, cum et ipsa habeat proportionem ad prædictam satisfactionem, quod melius est (externo privilegio) ut dixi, et præterea quodammodo obliget hominem ratione Status ad majorem indies satisfactionem exhibendam pro peccatis præteritis ratione Status suscepti. Unde et tali operi et Statui magis accommodata ratio providentiæ videtur, ut Religiosi pro peccatis præteritis, vel in ipsa Professione, vel si tunc remissi fuerint, post illam pro peccatis præteritis condigne satisfaciant."

VI. Ecclesia Indulgentiam Plenariam concessisse fertur certis Ordinibus, sive in Professione, sive in publica Profes-

sionis renovatione lucrandam. Ergo Ecclesia plenariæ condonationi in hisce casibus non plene credere videtur?

R. Huic objectioni multiplex patet responsio. - Et prima quidem generalis illa Suarezii, de Religione, Tract. 4, l. 4. c. 27, n. 12: „Hoc argumentum infirmum est, quia multa in privilegiis conceduntur, non quia necessaria sunt, sed quia petuntur, vel propter timorem seu scrupulum, vel ob dubitationem ex variis opinionibus ortam removendam, vel quia quod petitur, ex rigore juris non licet, et pendet ex consuetudine: quæ incerta et varia esse potest." — Secunda vero quoad Religionis Professionem, potest per Indulgentiam occurrere Profitenti qui, licet condonationis capax, tamen ita remisse profitetur ut opus ejus non attingat proportionem ad illam plene consequendam. Hæc ratio datur apud Holzmann (Vide supra, p. 154). — Tertia autem quoad Professionis renovationem, occurrit Indulgentiæ concessio aliquorum dubio, saltem pro casu publicæ renovationis. — Quarta tandem, nihil impedit aliquem duplicem lucrare plenariam condonationem, nam applicari possunt animabus in Purgatorio degentibus per modum suffragii; etiam, si non exprimeretur in concessione, ab illo qui actum, quod votum heroicum nuncupatur, posuerit. — Quinta denique, Ecclesia satis mentem suam in sacris canonibus et ritibus (supra, p. 70 et seq.) aperuit, saltem quoad Religionis Professionem cui Doctores communiter æquiparant etiam Professionis renovationem, ut prædicta objectio ne levissimam quidem probabilitatem præ se ferat.

VII. Ex prolatis documentis gravis oritur quæstio de absolutione, absque alius pœnitentiæ impositione, peccata sua ante Religionis Professionem confitenti tribuenda.

Claritatis causa in variis suis articulis distinguenda est hæc quæstio, nempe: *a)* Quid de tali usu constat? - *b)* Numquid antiquitus Confessario licuerit nonnunquam pœnitentiæ impositionem omittere? — *c)* Quid de Confessa-

rio sentiendum, qui, ante Tridentini Concilii præceptum, confitenti in ordine ad Religionis Professionem pœnitentiam imponere omisisset? *d)* Quid de hisce, post Concilium Tridentinum dicendum est? *e)* Quid in praxi tenendum?

A. Quid de tali usu constat?

R. 1. Jus Canonicum. C. Admonere, consulitur tanquam melius et levius Religionis Professio - et nihil aliud totius pœnitentiæ in sæculo aliter peragendæ imponitur. C. Quis aliquando, § His auctoritatibus... Non ergo necessaria sibi erat certa satisfactio peccati: cujus totum vitæ tempus, obedientiæ impendebatur sui Conditoris... Non ergo illa auctoritate Leonis Papæ satisfactio pœnitentiæ negatur esse necessaria cuilibet delinquenti, sed ei tantum qui, beatum Petrum imitatus, huic sæculo penitus abrenuntiat et cunctorum vitiorum formitem in se funditus mortificat. — C. Scripturæ, Religionem Profitens eximitur ab omni voto temporali, etiam a Dominici sepulchri visitatione. - Glossa Bernardi: Non frangit votum qui illud in melius permutat. Item magis servire videtur qui temporale servitium in perpetum permutat.

Quod tam receptum fuit ab initio ut etiam in Jure civili reperiatur, in Authentis, Coll. 1, Tit. V, De Monachis: „ Conversationis Monachalis vita sic est honesta, sic commendare novit Deo ad hoc venientem hominem, ut omnem quidem humanam ejus maculam detergat, purum autem declaret, ac rationabili natura decentem, et plurima secundum mentem operantem, et humanis cogitationibus celsiorem. Glossa *Maculam detergat*, i. purget, scilicet a peccato — *Purum*, a peccato.

2. Idem testatur S. Petrus Damianus, Opusc. 13, c. 6: „...quamdam in plerisque Monasteriis teneri consuetudinem novimus, quam ut *eos abdicetis*, humiliter *suademus*. Nonnulli namque Rectores fratrum plus tribuentes Monasticæ Regulæ quam expediat, quibuslibet a sæculo venientibus,

etiam si graviter lapsi sunt, aliam pœnitentiam non imponunt, nisi tantum communem Monasterii ordinem servare præcipiunt." Testis est ergo generalis consuetudinis, cujus usum *non absolute*, sed *relative tantum*, ut suo loco notatum est, damnat.

Idem testatur S. Bernardus qui, in Vita sua, l. 7, c. 22, legitur injunxisse Orationem Dominicam tribus vicibus dicendam, et in suo proposito usque ad mortem perdurationem, intuens cordis Arnulphi amarissimam contritionem et ad omne opus bonum spontaneam voluntatem.

Idem testatur Cæsarius Heisterbacensis, Dialog. Mirac., Dist. 4, c. 1: „ Venientibus ad Ordinem nostrum, etiamsi innumera et gravissima commiserint peccata, nihil eis aliud injungitur pro satisfactione, nisi ut ordinem servent." Et in hujus praxis confirmationem aliud S. Bernardi exemplum profert.

Idem testatur Gerardus Rondelli: „ Sexto argumentatur quoniam intrantibus Religionem in Confessione tunc facta non imponitur aliqua pœnitentia exterior pro peccatis suis sive pro satisfactione eorum, et hoc secundum antiquam ordinationem antiquorum Patrum. Hoc autem nunquam ordinassent Sancti Patres antiquitus, si non credidissent quod devote ingredientes sunt liberati ab omni culpa et pœna exteriori pro eadem debita.

Idem testatur S. Bernardinus Sen., Tract. II in Quadrages., Serm. 24, ubi, citato S. Bernardo, l. de Præcep. et disp., addit: „ Ex his ratio sumpta est quod Religionem intrantibus de præteritis culpis non est pœnitentia injungenda, sicut patet de poe. dist. 1, § His auctoritatibus, et Extra. de voto, c. Scripturæ. Ubi de hoc Glossa, non enim de peccatis commissis post Ingressum imponi debet, etc...

Idem testatur Sanchez. In Decal., Tom. 2, l. 5, c. 5, n. 2, c. Quis aliquando § His auctoritatibus, notat: Ubi traditur nullam præteritorum criminum satisfactionem ingredienti Religionem imponendam: quod totum residuum vitæ tem-

pus Deo dedicat. Per quem textum ita docet ibi Glossa v. Totum, et c. Scripturæ, v. Temporale de voto; et ita c. Admonere, Arnulpho pœnitentia publica remittitur, si velit Monasterium ingredi. Et ita etiam in Jure civili testatur.

Idem testatur Layman, l. 4, Tract. 5, c. 10, n. 1: Ergo qui omnia sua et seipsum divinis obsequiis tradit, is plene satisfacit: siquidem Religionis assumptio omne genus satisfactionis superat, juxta c. Admonere, ubi Glossa, v. Monasterium notat, quantamcumque pœnitentiam aliquis propter peccata subire debeat, intrando Religionem satisfacere, et liberari.

Idem testatur Tamburinus Asc., De jure Abb., To. 3, disp. 6, quæsit. 27, n. 3,... quod etiam habetur c. Quis aliquando, § His auctoritatibus, ibi enim constat nullam criminum præteritorum satisfactionem ingredienti Religionem imponendam, quod totum residuum vitæ tempus dedicet. Quod etiam colligitur in Auth. de Monachis.

Idem testantur Salmanticenses, Moral., T. 4, Tract. 15, c. 4, p. 5, n. 46. Et colligitur ex c. Quis Aliquando, § His auctoritatibus, ubi Glossa v. Totum. Et ex corpore Juris civilis, Auth. de Monachis.

Idem testatur Holzmann, Mor., p. 3, Tract. 3, disp. 2, c. 5, a. 1, n. 618,... c. Admonere, ita ut Glossa, ibidem v. Monasterium, dicat, quantamcumque pœnitentiam, propter peccata residuam, et adhuc subeundam, per ingressum, id est, Professionem Religionis penitus exsolvi: Ergo, etc...

Idem testatur Reiffenstuel, Jus Can., l. 3, Tit. 31, § 7, n. 187, c. Quis aliquando, § His auctoritatibus, ubi dicitur quod ingredientibus Religionem, nulla amplius pro commissis criminibus pœnitentia sit injungenda. Et confirmat pariter ex Jure civili.

Concludendum est ergo in responsione ad art. A, omnino constare antiquitus receptum fuisse, confitentibus in or-

dine ad Religionis Professionem nullam imponere pœnitentiam.

B. Numquid antiquitus Confessario licuerit nonnunquam pœnitentiæ impositionem omittere ?

R. 1. De facto, certe constat. Inter multa recitatur exemplum S. Petri Damiani nullam Agneti Imperatrici pœnitentiam imponentis. De quo ipse, Opusc. 56, c. 5, disserens ita loquitur : „ Sed ut hi, qui ad Apostolorum Limina confluunt, Sanctæ devotionis tuæ salubriter imitentur exemplum, sub arcana quoque B. Petri Confessione, ante Sacrum Altare me sedere fecisti, ac per lugubres gemitus, et amara suspiria, ab ipsa quinquennis infantiæ tenera adhuc, et nuper ablactata levitate cœpisti, et tanquam illic ipse Beatus Apostolus corporaliter præsideret, quidquid subtile vel minutum in humanitatis tuæ potuit titillare visceribus, quidquid in cogitationibus vanum, quidquid præterea subrepere potuit in sermone superfluum, fidelibus est relationibus evolutum : ad quod mihi visum est, *ut nil aliud confitenti pœnitentiæ pondus injungerem, nisi ut illud Divinæ legationis elogium iterarem :* Age quod agis, operare quod operaris : vel illud, quod his, qui Thiatyræ erant, per Angelum mittitur : Non mittam super vos aliud pondus ; tantum id quod habetis, tenete. (Apoc. 2). *Nam, Deo teste, ne unum quidem diem jejunii, vel cujuslibet afflictionis indidi ; sed ut in captis solummodo sanctis perseverares operibus, imperavi.*" Quod referens Benedictus XIV, Encycl. Apost. Const. 26 Junii 1749, § 23 in fine, sic laudat : „ Illud vero addimus, vitam, moresque Fidelium, qui nostra ætate ad Pœnitentiæ Sacramentum accedunt, late discriminari ab ea vitæ ratione, quæ inclytam Agnetem, Imperii dignitate, ac pietatis studio conspicuam, olim commendavit. Cum enim in hanc Urbem, ut ad Sanctorum Apostolorum Limina procumberet, se contulisset, universas præteritæ vitæ maculas B. Petro Damiani, *eximio S. R. E. Cardinali*, aperuit in foro

sacramentali; atque *inde recessit, nulla a Confessario, probitatis ac doctrinæ laude celeberrimo, imposita satisfactione.*"

2. De jure etiam constat. Absolutionem esse actum judicialem definivit Tridentina Sacra Synodus, Sess. 14, c. 6: Quamvis autem absolutio Sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium, vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata; sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso, velut a judice, sententia pronuntiatur. Et ibid., can. 9: Si quis dixerit absolutionem sacramentalem non esse actum judicialem,... anathema sit.

Sed sicut æquitas judicii postulat, ut puniatur debitor, ita, ut absolvatur qui jam solvit; unde non est de integritate judicii, ut imponatur pœna, sed tunc solum, quando adhuc intelligitur durare reatus. (Suarez. 3 P., Tom. 4, disp. 38, sect. 3, n. 4). Hæc pars, (satisfactio) solum requiritur ad integritatem Sacramenti, eo modo, quo punitio requiritur ad complementum judicii humani: hinc enim fit, quod sicut in judicio humano non manet judicium imperfectum ex defectu punitionis, quando reus non judicatur pœna dignus; sic neque hoc judicium et Sacramentum manet imperfectum ex defectu punitionis et satisfactionis, quando pœnitens non judicatur dignus pœna (De Lugo, Pœnit., disp. 25, sect. 4, n. 52). Ergo nonnunquam licuit Confessario omittere pœnitentiæ impositionem, ut de facto et de jure constat, si nihil contra præcipitur in Christi Ecclesia.

C. Quid de Confessario sentiendum, qui, ante Tridentini Concilii præceptum, confitenti in ordine ad Religionis Professionem, pœnitentiam imponere omisisset?

R. Recte egisse dicendus est, pœnitentiam aliam nullam tali confitenti imponendo, primo si illum sciat ad Religionis Professionem statim pie emittendam paratum, et secundo si constat Religionis Professionem plenariam per se esse satisfactionem.

De primo facile Confessario constat ex pœnitentis declaratione, qua certior redditur illum Deo acceptabilem satisfactionem solvere per statim emittendam Religionis Professionem.

De secundo, scilicet Religionis Professionem, plenariam esse satisfactionem, constat ex documentis quæ in tribus prioribus partibus collecta supra proponuntur, ut etiam ex Tertia Sectione Quartæ Partis hujusce Opusculi. Sufficiet ergo hic adeo apertas, fundatas ac constantes divi Thomæ declarationes breviter in uno fasciculo perstrictas proferre. „ Eo ipso quod suam voluntatem etiam in servitutem redigit propter Deum, plenarie jam pro omni peccato satisfecit " (4, dist. 4, q. 3, a. 3, q. 3 ad 3). „ Qualibet enim pœnitentia taxata, levissima Religio est major satisfactio, in quantum homo abdicat propriam voluntatem, qua nihil est homini carius " (4, dist. 16, Litt. m^io). „ Status Religionis est status perfectæ pœnitentiæ, et nulla satisfactio adæquari potest pœnitentiæ Religiosorum, qui et se et sua totaliter Deo dant " (Quodlib. III, q. 5, a. 13). „ Si enim aliquibus eleemosynis factis, homo potest statim satisfacere de peccatis suis, secundum illud Daniel. 4, 24: „ Peccata tua eleemosynis redime," multo magis in satisfactionem pro omnibus peccatis sufficit quod aliquis se totaliter divinis obsequiis mancipet per Religionis Ingressum, quæ præcedit omne genus satisfactionis, etiam publicæ pœnitentiæ, ut habetur c. Admonere, sicut etiam Holocaustum excedit Sacrificium, ut Gregorius dicit Super Ezechiel. hom. 8, l. 2, § 16 (T. 2) „ (2. 2. q. 189, a. 3, ad 3). Instituta comparatione Holocaustum inter et Religionis Professionem, concludit: „ Ex quo patet quod Religionis Status non solum perfectionem charitatis, sed etiam perfectionem pœnitentiæ continet." (Opusc. de Perfectione vitæ spiritualis, c. 11).

Sed primo et secundo stabilitis, liquet Confessarium olim recte per se omisisse pœnitentiæ impositionem in absol-

vendo brevi Religionem Professurum. Dicitur autem per se, quia non nisi ex raro simul adjunctarum circonstantiarum concursu (ut jam supra ex Suarezio dictum est) Religionis Professio plenariam non mereretur condonationem.

D. Quid de hisce post Tridentini Concilii præceptum dicendum est?

R. *a)* Concilium Tridentinum, Sess. 14, c. 8, præcepit: Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus, et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, et pœnitentium facultate, salutares, et convenientes satisfactiones injungere, ne, si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, et castigationem; nam claves Sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed et ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres credunt, et docent.

b) Quod præceptum aliquas nihilominus exceptiones admittere constat:

1. Ex Suarezio, 3 P., Tom. 4, Disp. 38, sect. 3, n. 1: Dico primo: per se loquendo, tenetur Confessor satisfactionem imponere... Dico tertio: interdum potest Confessor absolvere nulla imposita satisfactione. Ita Cajetanus, Tom. 1, Opusculor. q. 2, a. 2; Navarrus c. 26, n. 20. Duplex autem est casus: primo quando pœnitens est impotens, ut si sit propinquus morti... secundo, quando Confessor ex ipsa Confessione, et ex materia, et signis ejus intelligit, pœnitentem integre satisfecisse pro peccatis suis. Estque clara ratio, quia sicut æquitas judicii postulat, ut puniatur debitor, ita, ut absolvatur, qui jam solvit; unde non est de integritate judicii, ut imperetur pœna, sed tunc solum quando adhuc intelligitur durare reatus. Denique per contritionem ipsam et per confessionem homo satisfacit, unde

si interdum illa satisfactio æqualis sit, non est alia necessaria. Quamvis contrarium senserit Richard, d. 18, art. 2, q. 2, ad 1, nam saltem per modum medicinæ vult etiam in hoc casu imponendam esse satisfactionem; sed multo facilius potest cessare hæc necessitas, quia fieri potest ut peccata sint levia, et speciali non indigeant curatione. Fateor tamen raro posse constare Sacerdoti de sufficienti satisfactione jam facta, et ideo consultius esse, vel levem satisfactionem imponere, quod etiam in primo casu fere semper servare potest, si pœnitens percipiat; nam saltem potest vel semel proferre nomen Jesu, vel aliquem bonum motum elicere.

2. De Lugo, Pœnit. disp. 25, sect. 4, n. 47. Dubitatur primo, an Confessarius semper sub peccato mortali debeat pœnitentiam imponere. Constat excipi aliquos casus. Primus est quando pœnitens est impotens, ut si sit morti proximus maxime si caret jam sensibus, et non potest pœnitentiam impositam percipere. Addunt tamen aliqui, si infirmus, habeat sensus, exponendum illi esse, quam pœnitentiam mereatur, et imponendum, ut si convaluerit, eam impleat: quo sensu intelligunt textum in c. Ab infirmis, causa 26, q. 7, c. 1., ubi subditur: a quo periculo si divinitus ereptus convaluerit, impositum sibi a Sacerdote pœnitentiæ modum diligenter observet. Quæ verba non possunt bene intelligi de pœnitentia quæ postea imponatur, cum jam non liceat Sacerdoti loqui de peccatis illis cum pœnitente. Addunt etiam aliqui, debere imponi aliquam pœnitentiam præsentem, saltem parvam, quam etiam in illo articulo potest explere. Denique si infirmus potest satisfacere per eleemosynas; hæ sunt illi injungendæ in pœnitentiam. — n. 48. Secundus casus est quando Confessarius ex confessione, et aliis circonstantiis, intelligit pœnitentem integre satisfecisse pro pœna debita: et licet raro, vel nunquam possit hoc constare; addit tamen Petrus de Soto, lectione ult. de satisfact., sufficere quod

probabiliter videatur satisfecisse. — Tertius casus huic similis est, quem alii addunt, quando absque satisfactione instat perfectæ remissionis remedium : v. g. si instet Martyrium subeundum : quod alii extendunt ad Indulgentiam plenariam lucrandam, saltem quæ sit moraliter certa (quod a Bened. XIV reprobatur, ut infra dicetur). — Quartus casus est quando pœnitens ob suam fragilitatem nullam credatur accepturus pœnitentiam : aliquando enim oportebit condescendere ejus imbecillitati ad vitanda graviora mala: nunquam tamen continget quod aliquam, levem saltem, pœnitentiam non sit acceptaturus.

3. Benedictus XIV, Encycl. Epist., 26 Junii 1749, § 25 : At contra, nostris hisce temporibus passim occurrunt peccatores (quo nomine censemur et Nos, et alii fortasse B. Petri Damiani tempore censebantur) qui non jam in generali criminum exomologesi, sed et in ipsis Confessionibus, quas plures in anno frequentant, atque identidem repetunt, gravioribus criminibus implicantur ; ideoque in sacro Pœnitentiæ foro ea satisfactione digni sunt, quæ juxta Concilii Tridentini Canones peccatorum gravitati commensuretur : tum maxime, quod nulla aut fere nulla bona opera eliciunt, si in consueta vivendi ratione permaneant ; nec, ut par est, æquo ferunt animo ærumnas, quibus aliquando præmuntur : ex quo fit ut uberiori fructu fraudentur, quem Ecclesiæ preces, Sacerdotis ore in pœnitentes prolatæ, a Deo postulant hisce verbis : „ Ut quidquid boni feceris vel mali patienter sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, et præmium vitæ æternæ." — Quæ si comparantur cum supra relatis ex eadem Ep. Encycl., § 23, evidenter patet Benedictum XIV pœnitentiæ impositionem urgere, non absolute vi præcepti quod exceptiones nesciret, sed relative ad speciales peccatorum necessitates (cfr. supra, p. 287).

4. S. Alphonsus, Theol. Mor., L. 6, n. 507. 1. Excusatur aliquando Confessarius, si levissimam (vel etiam nullam)

pœnitentiam injungat, v. g. I. Si pœnitentem vehementissime contritum, aut aliter satisfecisse advertat. Caj. Nav. Suar. Reg. Bon. de pœn., d. 5, q. 5, sect. 3, p. 2, n. 1 et 2, Esc. cap. 6, n. 41. Cum vero id raro, vel nunquam constare satis possit, tutius est (Imo necessarium ex Salm. de pœnit..c. 10, p. 2, n. 22. cum Pal. et Coninck) aliquam semper injungere ; ut recte monet Card. de Lugo d. 25, sect. 4, n. 48. II. Si pœnitens sit mentis impos, aut aliter impotens, aut morti proximus, aut valde debilis, cui tamen prudenter injungi levem saltem pœnitentiam, v. g. percussionem pectoris, invocationem nominis Jesu (saltem corde) aliosve pios motus, vel ut per hæredes sacrificia, eleemosynas, et similia opera fieri curet, monent Suarez, Laym. et Bonac. l. c. et Navar. qui addit posse injungi, ut patienter ferat infirmitatem, quod tamen Bonac. l. c. non probat ; cum fieri possit, ut id valde angat infirmum, timentem se non rite satisfacere. (Nota hic quod habetur in Rituali Romano : Ægris non esse injungendam gravem pœnitentiam, sed indicendam tantum illam, quam, si convaluerint, opportuno tempore peragant. Et idem dicitur in can. Ab infirmis, causa 26, q. 7. Dicunt autem Salm., ibid. n. 21 in fin. et Dicast., d. 14, dub. 2, n. 14, quod si infirmus potest satisfacere per eleemosynas, imponendæ sunt a Confessario). III. Quando scrupulosus sæpius intra eamdem horam redit cum novis culpis ; quia supponitur satis imposita in præcedentibus, Tan. l. 4, c. 1, ex Fagund. — 508. 3. Minor justo licite datur ex causa, qualis v. g. est I Magna contritio (Nisi pœnitentia sit necessaria ad medicinam) II Fragilitas animi vel corporis, ob quam timetur majorem non impleturum. III Tempus jubilæi, vel Indulgentiæ plenariæ. Ita Suarez, Henriq., Laym. — (Quod ex Busembaum desumptum probat n. 509 et 510).

c). Inter exceptiones admittendas a forciori computari potest casus confitentis in ordine ad Religionis Professionem. Jam ex dictis in A et C sufficienter deducitur : etenim

si Tridentini Concilii præceptum non est absolutum, ut supra *a)* et *b)* ostensum est, non est cur rejiciatur exceptio quæ fundata est prout demonstratum est in A et C. In confirmationem additur ratio: quia Religionis Professio probatur plenariam esse per se satisfactionem vel ex eo quod nunquam Confessario illam confitenti imponere liceat. Ita D. Thomas, 4, dist. 16, Litt. m^io^: Introitus in Religionem cum sit voluntatis, non potest alicui injungi; et si aliqui canones injungere videantur, magis est consilium quam præceptum: qualibet enim pœnitentia taxata, levissima Religio est major satisfactio. — Quodlibet III, q. 5, a. 13: Nulla satisfactio adæquari potest pœnitentiæ Religiosorum qui et se et sua totaliter Deo dant; unde pro nullo peccato imponi potest homini pro pœnitentia ut Religionem introeat; et in commutationem satisfactionis quantumcumque gravis, consulitur tantum Religionis Ingressus. — Opusc. de Perfectione vitæ spiritualis, c. 11: Religionis Status... etiam perfectionem pœnitentiæ continet; in quantum quod nulla sunt peccata tam gravia pro quibus possit homini imponi pro satisfactione Religionis assumptio, quasi Religionis Statu omnem satisfactionem transcendente. — 2. 2. q. 189, a. 3, ad 3: Religionis Status præcedit omne genus satisfactionis, etiam publicæ pœnitentiæ." — Ita Layman l. 5, Tract. 6, c. 15, n. 11: Neque etiam a confessario imperari potest pœnitenti, ut Religionem profiteatur, uti ex communi docet Sylv. v. Confessio, q. 28; Henriq. l. cit. Quia sicuti Matrimonium carnale, ita etiam spirituale liberæ electionis esse debet. Quamobrem cum Sacris Canonibus aliqui ob crimen jubentur in Monasterium detrudi, intelligi non debet ut profiteantur, sed ut opera pœnitentiæ in Claustro peragant. – Ita Joannes Cardinalis Bona, Phœnix rediviva, Med. 14, III, 3 Nulla... p. 149. – Ita S. Alphonsus de Pœnit. n. 511, in verba Busemb. „ Non potest injungi. 1. Ingressus Religionis, ut docet Sa v. Satisfactio. quia id nimis durum videtur" notat: Quod primum spec-

tat, commune est apud DD. non posse imponi in pœnitentiam Ingressum in Religionem. Ita Laym., c. 15, n. 11, et Escob., l. 17, n. 166, cum Nav., Sa, Sylv., et Henriq., ex D. Thoma, 2. 2, q. 62, art. 2.

Nec objici valet 1. Satisfactio quam offert suo Judici est tantum postea implenda, nam idem est dicendum de illa quæ a judice imponitur. Judex ergo, cum viderit pœnitentem paratum ad assumendam satisfactionem, quæ, si ordinario modo peragatur, debitum certo excedit, jam rationem æquitatis non habet ad aliam in judicio reconciliationis addendam.

Nec 2. Difficile de ejus sufficientia ad plenam condonationem consequendam constare potest; nam si id verum est de contritione quæ extraordinaria esse debet, non ita est de Religionis Professione quæ etiam ordinaria sufficere dignoscitur.

Nec 3. Benedictus XIV, in Epist. Encycl. „Inter præteritos" (3 Dec. 1749), sententiam qua tenetur Confessarium, tempore jubilæi vel Indulgentiæ plenariæ, posse absolutionem, nulla injuncta pœnitentia, impertiri, tanquam laxiorem reprobat, revocans Epist. Encycl. „Convocatis" (25 Nov. 1749), n. 26. „Non prætermittant suam cuique pœnitenti salutarem pœnitentiam imponere in Sacramento, ne prætextu quidem Jubilæi per eumdem Pœnitentem consequendi," et dicens „difficillima perceptu res Nobis visa est, eum posse dici, aut esse, vere Pœnitentem, sicut ille debet esse qui Plenariam Indulgentiam consequi cupit, si hujus prætextu, eximere se velit a pœnitentia illa implenda, quæ ipsi in Sacramentali Confessione a Confessario injuncta est" („Inter præteritos," n. 65).

Nam Religionem Profitens non se a pœnitentia eximit, sed Statum perfectæ pœnitentiæ assumit, quæ nemini pro quocumque crimine imponi potest. Ergo nulla est paritas sed evidens disparitas. Quod si instans affe-at

rationes S. Alphonsi pro Jubilæo vel Indulgentia Plenaria (Pœnit. 519), nempe 1ª quia, ut pœnitens posset per Indulgentias liberari a pœnitentia certe debita, certus esse deberet se illam lucrari: sed patet hoc valde incertum esse; unde non potest debito certo satisfacere per incertam solutionem. — 2ª quia, licet certo quis Indulgentiam lucraretur, debet tamen semper aliquam pœnitentiam (quæ est integralis pars Sacramenti) implere, ne Sacramentum mutilum maneat. — Dixi aliquam pœnitentiam, nam communiter et probabilissime, præter AA. citatos pro prima sententia, dicunt Nav., c. 26, n. 21, Tol., l. 3, c. 11, n. 8, Sporer n. 258, Elbel n. 248, Holzm., n. 612 et Laym., c. 15, n. 12, cum Soto et Henr.: causa Indulgentiarum bene posse a Confessario pœnitentiam diminui, modo aliqua imponatur, quia per eam jam integratur Sacramentum, et contra per Indulgentias probabiliter satisfit pœnæ temporali de bonis communibus Ecclesiæ, ut docet D. Thomas Suppl. q. 25, a. 1, ad 3. — Reponitur: Ratio 1ª non procedit in Religionis Professione, nam valor ejus ad satisfaciendum, ut supra jam expositum est, q. IV, R. n. 5, Indulgentiis proprias incertitudinis causas non habet, quæ Indulgentias, vel ex parte, vel etiam ex toto labefactent. Sufficit Professionem ordinario fervore emittere, et nonnisi raro tales concurrunt circonstantiæ quæ ejus vim ex parte tantum labefactent. Unde ordinarie Religionis Professio est satisfactio excedens debitum; nec nisi raro quidem inferior debito invenitur, quod sæpius sane continget in pœnitentia imposita, quæ potest deficere tum ex impletionis imperfectione, tum ex judicis mensura inadæquata debito. — Ratio 2ª non magis procedit in Religionis Professione: nam licet pœnitens per Indulgentiam a personali solutione absolvatur, et sic, neglecta satisfactione, ipse deesset tertio pœnitentis actui; non est ita in Religionis Professione, quæ ex se ipsa omnem debitam satisfactionem plene imo superabundanter ex-

solvit. Tantum ergo abest quin Sacramentum periculo manendi mutilum exponatur, ut ediverso tanta a pœnitente assumatur satisfactio, quantam ipsi nunquam Confessario liceat imponere.

E. Quid in praxi tenendum?

R. 1. Videat Confessarius utrum pœnitens ordinario saltem modo Profiteri paratus sit, annon. *a)* Si affirmative, certe nihil insuper imponere tenetur. — *b)* Si negative, nec potuerit remissum ad ordinarium fervorem reducere, satisfactionem congruam imponat. — *c)* In dubio vero levem dumtaxat imponere non omittat. — *d)* Laudandus sane Confessarius, qui etiam in optima pœnitentis dispositione, S. Bernardi exemplum imitatus (ut videre est in documentis, parte I), levissimam satisfactionem imponere eligeret.

2. Vota emittere intendens, præparationem curet afferre: *a)* remotam, per summam tempore novitiatus fidelitatem; *b)* proximam vero per sacri præcedentis recessus strenuum usum. Quod si cum bona voluntate præstiterit, indubie paratus ad plenariam in Religionis Professione condonationem consequendam invenietur; Holocaustum ejus pingue fiet, quia Deus tribuet ei secundum cor ejus, et omne consilium ejus confirmet; et lætabitur in salutari suo, et in nomine Dei sui magnificabitur! (Ps. 19). Exultans cantabit: Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, et labiis exultationis laudabit os meum! (Ps. 62).

De cœtero, quoad pœnitentiæ impositionem humiliter se Confessarii judicio prudenti committat.

Index.

FOLIO.

Prologus 5

Pars I. Antiqua documenta usque ad *Wicleffum. Sectio I, Doctores.* 13

S. Cyprianus, Martyrium cum Baptismo conferens 13

et Martyrium duplex distinguens (textus duplex). . 14

S. Athanasius, Martyrii ardorem in *S. Antonio* describens. . . 15

et *S. Antonii* in Professione a peccatis liberationem. 16

S. Hieronymus, Baptismo Professionem conferens 17

Item Profitendi voluntatem efficacem 17

Martyrio Professionem comparans (textus triplex) . 17

Eusebius de morte S. Hieronymi 18

Leontius Ep. in vita *S. Symeonis Sali* 18

Monachos Angelos vocans. 19

Professionem Baptismum nuncupans. 20

S. Symeonis visiones referens 21

S. Joannes Damascenus, Martyrium Monachorum exponens . . 22

Baptismi et Professionis similitudinem proponens . 24

Vitæ Patrum, Visio cujusdam de Baptismi et Professionis simil. 24

S Petrus Damianus, Opusculi XIII, c. VI notis illustratum . . 24

secundiceriam Apostolici Ordinis } Profes. vocat . 27
secundum Baptisma . . . . . }

Opusculi XVI, c. VIII, idem proferens 28

S. Anselmus, Libro de Similitudinibus, c. 192, Visio 30

Rupertus, Abbas. In Regulam S. Benedicti. l. IV, c. IX. . . . 31

De operibus Spiritus Sancti, l. VIII, de Pietate I, c. VIII 31

S Bernardus, Abbas et Doctor. Professionem esse Baptismum explicans 35

idem: esse Baptismum et Martyrium . . . 35

» de duplici Baptismo. 36

» quantopere Monachi via sancta. . . 37

» Paupertatem quoad meritum extollens. 38

» Duplicem supernaturalem generationem laudans. 38

» Conversionis fructus celebrans. . . 39

» Pauperibus et Martyribus idem præmium 40

» Martyrio Professionem conferens . . 41

» ab *Alexandro III* ut Martyr laudatus. 41

FOLIO.

S. Bernardus. Abbas et Doctor. Visio de suorum salute 41
idem: Converso minimam pœnitentiam imponens 42
Bertramus Reoldus, Acta *S. Francæ* referens 43
Cæsarius, Heist. Mon. Nullam converso imponendam esse pœnitentiam 44
Habitum Baptismi habere virtutem ex SS. Patribus et Visione comprobans 45
Ordinem peregrinationi præferendum. 45
Religiosorum cum Christo crucifixorum Visionem . 46
Oberti morientis Visionem. 48
Gosberti reviviscentis dicta. 48
Menologium Cister., S. Bernardi verba discipulo morienti. . . 49
Waddingus L. Annales Minorum, de *Christophoro* ex Romandiola 50
D. Thomas, Baptismo Professionem comparans, 4, dist. 4, q. 3, a. 3, q. 3, ad 3. 51
item, 4, dist. 16, L. m^io 51
» Quodlibet III, q. 5, a. 13. 52
» 2. 2^æ, q. 189, a. 3, ad 3. 52
» 2. 2^æ, q. 124, a. 3, De Martyrio et ejus similitudine 53
Opusc. de Perfectione vitæ spiritualis, Holocausto conferens Professionem. 216
S. Mechtildis, P. IV, c. 17, Libri specialis gratiæ: Qualiter Christus Profitentes in suos suscipit amplexus. . . . 54
P. IV, c. 18, De amplexu Domini 55
P. II, c. 18, De votorum Renovatione. 56
P. III, c. 29, De votorum Renovatione 57
P. IV, c. 15, Renovationis modum edocet eam D^nus 273
S. Gertrudis Magna, Legatus divinæ pietatis,
L. IV, c. 27, De votorum Renovatione. 57
L. IV, c. 29, De votorum Renovatione 58
Pars I. *Sectio II,* Ritus Monastici, quid spectantes doceant . . 59
Theodorus, Archiep. Cantuar 60
Aquisgranensis Conventus, cap. 35 60
Hildemarus 60
Bohcrius; Ordinarium Cassinicnse; Codex S. Benigni Divionensis 61
Corbiense Rituale; Beccense Rituale. 61
S. Dionysius Areopagita; Cassiniensis Cæremonia 62
Cisterciensium Ordo 63

FOLIO.

Benedictinarum Leodiensium Rituale 64
Monialium a Visitatione B. M. V. Ordo 66
et ei alludens *S Franciscus Salesius* 67
Pontificale Romanum. 68
Pars I. *Sectio III*, Quidnam e Jure Canonico eruatur 70
C. *Admonere* 71
C. *Quis aliquando*, § *His auctoritatibus*; C. *Ut Filii* 73
C. *Ne Religiosi*; C. *Scripturæ* 74
C. *Ex Litterarum*; C. *Cum Illorum* 75
C. *Antiquæ* 77
Ex *Jure civili*: *Authent. de Monachis*; *Novella* 123, § *Nullam licentiam*; *Codex*, L. 1, *Deo nobis*, § *Hoc etiam* . 78
Zypæus Franciscus 79
Pars II. *Wicleffi* notitia. 81
Thomas Waldensis, Wicleffum mire refutans 82
Gerardus Rondelli. Historica notitia, et prænotanda de ipso . . 86
Determinatio Magistri Ger. Rondelli. (M. S.) . . 88
S. Bernardinus Senensis 97
S. Antoninus Petrum de Palude referens. 100
Dionysius Carthusianus. 101
Thomas a Kempis. 104
Cajetanus Card. in D. Thomam, II. II^{æ}, q. 189, a 3, ad 3. . . 105
Emmanuel Sa 107
Hieronymus Platus 108
Diez Philippus 115
Lessius 117
Pars III. Lutheri notitia et discipulorum ejus. 120
Bellarminus, in Philippum Melanchton 120
Judicium de libro Concordiæ Lutheranorum. . . 122
Rosweydus Heribertus, in Vitis Patrum, nota ad Visionem S. Antonii 123
Suarez, III de Religione, l. 2, c. 13, de privilegiis Religiosæ Professionis. 125
Sanchez, In Decal., l. 5, c. 5. idem. 129
Layman idem 135
Tamburinus Ascanius 137
Sylvius 140
Hæftenus. 141
Lezana 144
De Lugo datur ejus locus n° 15 177
Salmanticenses. 145
Joannes Bona Card. 146

FOLIO.

Lacroix; Holzmann. 152
Richard; Msgr de Roquelaure 155
Reiffenstuel 162
Ferraris 163
S. Alphonsus de Lig. 164
Bouix 165
Van der Velden; Scavini; D. *Maurus Wolter*: 166
PARS IV. Transitur ab historia ad theoriam quæstionis. . . . 168
Sectio I. Doctrina de *Satisfactione* in genere . . . 169
Sectio II. *Status Religiosi,* qua opus satisfactorium, excellentia 181
A. Ratione *pœnalitatis* 182
I. Cordis *contritione* cum adjuncta *charitate* informatur . . . 183
II. Omnes *privationes* complectit 187
III. Præteritæ injustitiæ *recompensationem* eximiam offert . . 189
IV. Et *peccatorum* cavendorum, *virtutum*que fovendarum *medicinam* universalem præbet. 195
B. Ratione *bonitatis* 197
C. I. Omnes *virtutes morales ad summum perducit* 198
I. Summum in *Justitia* est *Obedientia* Religiosa 198
II. Summum in *Fortitudine* est *Paupertas* Religiosa 201
III. Summum in *Temperantia* est *Castitas* Religiosa . . . 206
Cui perfectioni coronæ *aureolæ* debentur 206
C. II. Ipsam *Charitatem ad summum perducit*. 211
I. *Spiritualis vitæ ejusque perfectionis notio* 211
II. *Temporalia bona relinquenda* 214
III. *Religiones per tria vota perfecte derelinquunt*. 216
Cui perfectioni corona *aurea* debetur. 219
C. III. Propositum *per vota,* actusque singulos per *Religionis virtutem* nobilitat. 220
I. Errorum falsitas, objectionumque inanitas demonstrantur . 220
II. *Perfectio quæ est ex voto* consideratur 226
Conclusio 228
Sectio III. *Religiosæ Professionis* valor satisfactorius quantus? 228
Quum actus ille non multum habeat pœnalitatis formaliter, satisfactorius valor tantus esse non potest nisi propter *excellentiam bonitatis ejus*. 228
A. Voluntas consideratur *in objecto* quod intendit.
I *In genere:* Voluntas perfecta seu efficax in Dei oculis pro facto habetur, ut probatur 1. Scriptura Sacra 229
2. SS. Patrum et Doctorum auctoritate 230

FOLIO.

3. Ratione Theologica 235
II *In specie:* In Religionem Professionem, voluntas perfecta honestissimum intendit objectum 238
B. Voluntas consideratur *in modo* quo objectum suum prosequitur, nempe per *tria vota pepertua*, et sic Religiosa Professio Baptismo comparata invenitur:
1. Perficere status mutationem 239
2. Accedere ad secundum in Christi Ecclesia gradum 244
3. Suscipere onus maximum. 246
Unde ut Baptismo, ita *Religiosæ Profcssioni* plena debetur condonatio 252
APPENDIX. I. De visionibus: A. earum authenticitas. 253
B. Earum ad argumentum constituendum aptitudo . 256
II. Quibus votis plena detur condonatio? 259
Etiam votis simplicibus vel solemnibus *renovatis* . . 261
A. Argumenta extrinseca, visiones et Doctores. . . 261
B. Argumenta intrinseca. 264
III. Vota renovare, A. Quid sit? 266
B. Quanti momenti? 1. Sanctorum auctoritas . . . 266
2. Humanæ naturæ necessitas. — 3. Scriptura. — 4. Religionum consuetudo 270
Preces ex Hæfteno, S. Mechtilde, S. Gertrude et S. Ignatio 272
Notanda quoad quotidianam praxim 277
IV. Aliis etiam operibus competit plenaria pœnarum condonatio. Sed in his longe eminet Religionis Professio 278
V. Quibus Religionem Profitentibus detur remissio plena 282
VI. Indulgentiarum concessio dicta non infirmat . . 282
VII. Quid de absolutione absque alius pœnitentiæ impositione, danda confitenti in ordine ad Religionis Professionem, dicendum sit? 283
A. Quid de tali usu constat? 284
B. Numquid antiquitus Confessario licuerit nonnunquam pœnitentiæ impositionem omittere? . . . 287
C. Quid de Confessario sentiendum, qui, ante Tridentini Concilii præceptum, confitenti in ordine ad Religionis Professionem, pœnitentiam imponere omisisset? 288
D. Quid de hisce post Tridentini Concilii præceptum dicendum sit? 290
E. Quid in praxi tenendum? 297



1653
241.613
C54
Collette, R
AUTHOR
Religiosae Professionis
TITLE